



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [1] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [2] · ·



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [3] · ·



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [4] - -

4

JAC. FRIDER. LUDOVICI,
Jurium Licentiati,

DELINEATIO HISTORIÆ JURIS DIVINI NATURALIS ET POSITIVI UNIVERSALIS,


ubi

Varia utriusque hujus juris, in ſpeciè verò naturalis fata & diſſenſiones DD. tam veterum, quam recentiorum, circa propoſitionem præcipuè fundamentalem juris naturæ & concluſiones exinde profluentes hiſtoricè recenſentur.



HALÆ MAGDEBURGICÆ
Sumptibus JOHANN GOTHOFREDI RENGERI.
ANNO M DCCI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [5] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [6] - -

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Ppidò falli cenſeo illos, qui ſtudium Hiſtoricum tàm arctis includunt cancellis, ut præter notitiam rerum in hac illave Republica pacis bellique tempore geſtarum illud nihil quicquam ulterius ſub ſe comprehendere exiſtiment. Interim tamen, quemadmodum proh dolor! pſeudo-ſapientia ubique ferè dominatum exercet: ita & hîc plerumque cœci diſcentes in meris deviis à cœcis docentibus circumducuntur. Utilia ſæpè negliguntur & nugæ maximi fiunt. Et ne quidem illa, de quibus mox ab initio dixi, belli pacisque negotia, eô quô decebat modô, inſtillari ſolent. Alii Auditores ſummum ſcientiæ culmen attigiſſe opinantur, ſi nomina Imperatorum & Regum, aliaque

que rerum geſtarum momenta potiſſima, verſibus mnemonicis incluſa, non minus exactè quàm avis cantilenam ſuam recitare veleant. Atque in hunc finem varias artes oſtentant, quibus memoriam egregiè adjuvari prætendunt, ita ut haud rarò tantos (præfiſcini!) theſauros vix aliter, quàm datâ dextrâ & religione, diſcendi cupidis concredi videas. Scio equidem, in Hiſtoria addiſcenda memoriam utramque facere paginam, quia ad ea, quæ in mero facto conſiſtunt, judicium ſolum non penetrat; interim tamen ita hîc agendum erit, ne auctâ memoriâ judicium perdatur, quippe per quod eruditi ab indoctis primariò dignoſcuntur, ita quidem, ut vir eruditus ſine judicio mihi non aliud unum, verum, bonum ens, quàm ferrum ligneum eſſe videatur. An errem, neſcio. Judicent alii. At verò, qui ejusmodi artificiis mnemonicis immergitur, non poteſt non detrimentum judicii perpeti, dum ſcilicet hoc protinus negligenter, aut ſaltem non eâ, quâ decebat, ratione excolitur, quæ culturæ ratio ſanè longum temporis ſpatium variaque in judicando experimenta requirit, qualia à Mnemonicario illo (liceat ita loqui) fruſtra expectaveris. Quid verò dicam de illis, qui neſcio quas figuras in chartis pingentes, memoriam ſublevare nituntur? Rideres ſine dubio lepida inventa primô ſtatim intuitu, niſi eadem à Viris autoritate nitentibus

&

& cœcô interdum aliorum applauſu gaudentibus profecta videres, de quorum idoneitate dubitare velle non minus ſacrilegium eſſe reputatur, quàm quod ex *l. 5. C. de diverſ. Reſcript.* deducere ſolent Legum interpretes. Nihil ergò ſupereſt, quam ut infirmitatis humanæ & hac in parte miſereàris, meliorem mentem & autoribus & aſſeclis hujus inventi ſedulò apprecans. Licet autem è contrario in hac, quam nominavi, hiſtoriæ parte juſtâ methodo, per diligentem nempe repetitionem & examina frequentia procedatur, hîc tamen ſtudium hiſtoricum non mox eſt finiendum, ſed & ad alia progredi oportet. *Hiſtoriam literariam* præcipuè addiſcendam eſſe, innuere volo. Hæc enim omnium, quas nominaveris, diſciplinarum commune eſt inſtrumentum. *Theologi* perfecti nomen vix meretur, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam ignorat, noſtrâ præcipuè ætate, ubi impii Rixatores fidem ex voluntate in cerebrum translocârunt, & locô regenerationis & perfectionis à Chriſto toties inculcatæ centonem opinionum anathematis ſive craſſioris, ſive ſubtilioris fulmine munitarum ſimplicibus animis obtrudunt. *Jureconſultus* autem nil niſi purus putus Legulejus eſſe videtur, qui peritiam juris Romani profitetur quidem, ſed tamem non ſolùm ipſum Reip. Romanæ ſtatum, ſed etiam quô tempore, qua ratione & in quantum jus illud exoticum in Patriam noſtram introdu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [9] · ·

ctum fuerit, ignorat. Leges enim ſcire hoc eſt, vim & poteſtatem earum nôſſe, hæc autem vis & poteſtas principaliter ex indole ſtatus & circumſtantiis temporum proſtuit. Venit ex hac ignorantia, quod ejusmodi Leguleji Viros verè eruditos ſecum ferre non poſſint, ſed ipſos, quoniam eorum chordâ non oberrant, ignorantiæ in explicandis jurium textibus, novitatis in praxi inutilis, aliorumque vitiorum & defectuum audacter accuſent. Quaſi verò ipſi privilegiô muniti ſint, ut eorum interpretatio ſolùm avthentica haberi debeat. Aut, quaſi & in controverſiis juris altera ſententia orthodoxa, altera heterodoxa declarari ſoleat, cùm hucusque, Deo ſit laus! Jurisprudentia malô hæretificandi inquinata haud fuerit. Quid de *Medicis* dicam? anne hi ſine hiſtoriæ ſubſidio diverſas diverſorum hypotheſes imbibere valent? anne notitiam habere poterunt, quâ occaſione ſtudium Medicum ſubinde varia incrementa ceperit, adeò ut hodierna ejus facies à facie priſtina prorſus ſit diverſa. Poterunt quidem hac notitiâ carere illi, qui nihil niſi artem conſcribendi Recepta, ut dicuntur, addiſcere cupiunt; ſed hi, uti Medicorum nomine indigni ſunt, ita regulam exemplô ſuô conſtruere nequeunt. *Philoſophos* quod attinet, hi jam diu hiſtoriæ neceſſitatem & utilitatem agnoſcere inceperunt, adeoque hiſtoriam Philoſophicam variis ſcriptis illuſtrare anniſi

ſunt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [10] - -

ſunt, ex quibus præcipuè in hoc ſtudiorum genere commendari merentur Hornius & Voſſius. Quæ cùm ita ſint, & verò maximus ubique adhuc defectus in hiſtoria reperiatur, nemini, opinor, vitio verti poterit, ſi quantum in ſe eſt, ad emendandum hunc defectum aliquid afferat. Sanè ipſi Grammatici nobis hîc ruborem excutiunt, qui continuâ ſerie diverſas lingvæ latinæ ætates *auream*, *argenteam*, *ferream*, & ſi quæ aliæ, recenſere ſciunt, cum tamen Lingva illa eſſentiam eruditi non ingrediatur, ſed merum tantummodò inſtrumentum & adminiculum dici debeat. Annon ergò major diligentia in ſtudiis utilioribus adhibenda erit? quippe cum haud rarò & maxima de nihilo naſcatur hiſtoria? optandum ergò, ut poſtquam proximis his annis ſtudium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad ſummum ferè gradum perductum fuit, ut, inquam, eruditi quoque Viri jam Hiſtoriæ literariæ, maximè autem hiſtoriæ juris ſedulas admoverent manus eamque ex latebris in lucem iterum protraherent. Fecit hujus rei ſpem nobis Vir Conſultiſſimus, Dn. D. Beyerus, dum *in præfat. ad delineat. jur Feudal.* ſe tractatum ſpecialem *de Hiſtoria juris univerſi divini & humani* editurum promiſit, quô ut eruditus orbis brevi tempore frui poſſit, ex animo optamus, atq; adeò videri poterat laborem præſentem inutiliter ſuſceptum eſſe, cum ſine dubio à laudato Autore doctiores cogitationes & apparatus

Auto-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [11] - -

Autorum longè inſtructior, quam quidem à nobis, expectandus ſit. Nihilominus tamen non malè me facturum cenſui, ſi interim, dum memoratus Tractatus, adhuc expectatur, per modum *brevis* ſaltem *delineationis hiſtoriæ juris naturalis* illis, qui ſtudia moralia juſtô pretiô æſtimare ſciunt, ſpecimen aliquod ſuppeditarem, ut, quid in perficienda hujus juris hiſtoria adhuc præſtari poſſit, tandem animadvertant. Neminem ferè reperire potui, qui hac in parte facem mihi prætuliſſet, adeoqve excuſationem benevolam ab æquo lectore me obtenturum ſpero, licet non omnia ejus eruditioni & judicio exactè reſpondeant. In multis fallimur omnes. Ceterum, quemadmodum ſedulò cavi, ne famam alicujus quôcunque modô arroderem, ſed potius judicia aliorum propriis ipſorum verbis adducere ſtudui: Ita etiam, ſi forſan malevolus aliquis ex pruritu alios vexandi ac proſtituendi laborem præſentem quôcunqve modô ſuggillare præſumat, illud planè non curabo, ſed cum eo, (de quo nonnemo refert, quod ægrè cum aliis contendere ſolitus fuerit) reſpondebo: *Domini mei, nolo vobiscum litigare, acquieſco ei, quod vobis placet.* Vale, benevole Lector, & ſtudiis noſtris fave. Dabam in Acad. Fridericiana d. xv. April. A. M DCCI.

CON-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [12] - -

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS.



Ius naturæ eſt primum & antiquiſſimum, §. 1. Hiſtoriæ ejus, ut reliquarum diſciplinarum omnium, eſt maximè neceſſaria, §. 2. idque ideò, quia ſtudium juris naturæ maximam utilitatem adfert. Objectiones contra hanc aſſertionem (1) quod nihil certi hic reperiatur, §. 3. (2) quod in praxi nullum uſum habeat, cum reſponſionibus, §. 4. judicium eſſentiam JCti ingreditur, §. 5. Intelligitur hic jus naturæ, quod poſt lapſum hominis obtinet, §. 6. Qualis ejus conditio tempore Adami & poſterorum ejus fuerit, §. 7. nec non poſt inſtitutam Remp. Hebræorum, §. 8. An tractatio juris naturæ ſyſtematica ſimpliciter ad ejus perfectionem requiratur, §. 9, Facies hujus diſciplinæ apud Gentiles. Sectæ Philoſophorum Græcorum. §. 10. Eorum doctrinæ in moralibus, §. 11. 12. Philoſophi Romani, §. 13. Apud omnes hoſce jus naturæ non fuit excultum. Philoſophi, quorum excerpta in Pandectis traduntur. §. 14. De populis barbaris, eorumq; ſtudiis, §. 15. In ſpecie de Germanis. Apud hos ſtudia non floruerunt. §. 16. Introductio Scholarum & Academiarum in Germaniam. Miſera earum facies. §. 17. Theologi Romanenſes jus naturæ cum maximo illius diſpendio profiteri inceperunt. §. 18. Tractatus hunc in finem à Scholaſticis adornati §. 19. Stultitia Antonii d'Eſcobar. §. 20. Reſtauratio juris naturæ. Cur non illa ſtatim poſt reformationem ſuſcepta fuerit. Judicium Lutheri de reformandis Academiis & doctrina morali Ariſtotelis, §. 21. 22. Æmulatio inter Lutherum & Melanchthonem, nec non inter utriusque aſſeclas. §. 23. Benedicti Winckleri Tractatus de principiis juris ante Grotium editus, §. 24. Grotii Opus Pariſiis editum. Cur illud de Jure belli & pacis inſcripſerit. §. 25. Elogia Grotii, §. 26. Quale fundamentum juris naturæ poſuerit Grotius, & qualem dolum bonum hic adhibuerit. §. 27. Com-

)( )(

men-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [13] · ·

mentatores in Grotium. Felden ejusq; controversia cum Graswinckelio. Bœclerus, Zieglerus, Osiander, Henniges & Velthemius, cum subjuncto judicio. Kulpisii Collegium Grotianum. Labor Wœchtleri, Simonis & Hedingeri circa Grotium, Versio Gallica Grotii. Notæ in eundem Becmanni, Gronovii, Spinæi & Tesmari. Controversia inter Musæum & van der Muelen. §. 28. Judicium Kulpisii de tot Commentatoribus Grotianis §. 29. Epitomatores Grotii, Klenckius, Simon, Suicerus, Vitriarius, Schefferus, Müllerus & Guil. Grotius, & in hunc ultimum notæ Simonis & Götzii, §. 30. De Religione Grôtii. Judicium Becmanni. §. 31. Memorabilia, quæ circa obitum Grotii contigerunt. §. 32. Thomas Hobbes. Ejus elogia. §. 33. Ejus liber de Cive & Leviathan, Parisiis adornatus. Reditus Hobbesii in Angliam. §. 34. Qualem statum naturalem Hobbesius supponat, eidemq; jus naturæ superstruat. Unde pacta oriantur. §. 35. Conjectura, quid Hobbesium ad fovendam hanc hypothesin induxerit. §. 36. Hobbesius cur tam exosum se reddiderit. §. 37. Ejus Adversarii. Bramhallus, Filmer, Scharrok, Cocquius, Cumberland, Schaffio, Strimesius, Chopius. Alii, qui incidenter solum contra eundem disputant, Rachelius, Eisenhart, Osiander, Parkerus, Pufendorffius. §. 38. Affectæ Hobbesii. Daniel Scargil & ejus fata. Odium Theologicum. §. 39. Malitia adversariorum Hobbesii, §. 40. Pro Hobbesio scripsit Lambertus Velthuysen. Fovit quoq; ejus principia Benedictus Spinoza. §. 41. Christoph. Becmanni judicium de principiis Hobbesii. (Hobbesius terror Clericorum.) Henricus Bredelo. §. 42. Seldeni Opus de jure naturæ & Gentium juxta Disciplinam Hebræorum. (Æmulatio inter Grotium & Seldenum.) §. 43. Quid Seldenus in isto opere pertractaverit. Judicium Dn. Pauli de labore Seldeni. §. 44. Emendatio juris naturæ per Pufendorffium facta. Ejus Elementa Jurisprudentiæ universalis, Carolo Ludovico, Electori Palatino inscripta. Literæ Car. Ludovici ad Pufendorffium. Pufendorffii Officia in Academia Heidelbergensi, & Lundinensi. Ejusdem Tractatus de I. N. & G. item de officio Hominis & Civis. §. 45. Cur non Protestantes Theologi & Philosophi Pufendorffii Opera statim approbaverint. Execrationes Velthemii. §. 46. Fata Pufendorffii summatim delineata. §. 47. Specialia de eodem. Scriptores adversarii, inter quos primus Josua Schvvartzius. Ejus Index Novitatum. §. 48. Apologia Pufendorffii & circumstantiæ nonnullæ quoad publicationem Indicis Novitatum notabiles. Nicolaus Beckmannus. §. 49. Index per Carnificem comburitur. Beckmanni relegatio. Truculentæ ipsius machinationes adversus Pufendorffium, & famosa scripta. §. 50. Petri Dunæi & Joh. Rolleti Scripta contra Beckmannum. Inquisitio Jenensis contra Rolletum. Stultitia Beckmanni in ipsius libris prodita. Fit Pontificius. §. 51. Josua Schvvartzius

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [14] - -

zius ex Suecia aufugere cogitur & in Daniam pervenit. Ubi edidit Discussionem calumniarum Pufendorffii, sub nomine privigni Wildschützii. Respondet Pufendorff sub persona ipsius Schvvartzii. Alia Satyra contra Schvvartzium. §. 52. *Schertzerus brachium seculare contra Pufendorffii libros implorat. Rescriptum ad Universitatem Lipsiensem.* §. 53. *Epistola Pufendorffii ad Schertzerum, ejusque provocatio. (De Doctrina recepta, & quæ illa sit?)* §. 54. *Schertzerus certamen subterfugit. Verba Pufendorffii de illo.* §. 55. *Fridericus Gesenius sub persona & nomine Christiani Vigilis contra Pufendorffium scribit. Occasio hujus litis. Joh. Lyseri Dialogus de Polygamia.* §. 56. *Indoles Pseudo-Cleri. Gesenius Pufendorffium pro Autore istius Dialogi venditat. Adducuntur ejus verba.* §. 57. *Responsio Pufendorffii. Ulteriora Gesenii Scripta ejusque Christiana benedictio horrenda. Lyseri fata.* §. 58. 59. *Velthemii Dissertationes de Perseitate actionum moralium. Responsio Pufendorffii.* §. 60. *Sam. Strimesii & Zentgravii Scripta adversus Pufendorffium. Adducitur liber nuperrimè à Zentgravio editus & exinde inter illum & Pufendorffium jam maximâ ex parte consensum esse ostenditur.* §. 61. *Valent. Alberti Compendium juris naturæ orthodoxæ Theologiæ conformatum. Pufendorffii Specimen Controversiarum. Alberti Specimen Vindiciarum. Pufend. Eris Scandica. Alberti Eros Lipsicus. Puf. Commentatio super invenusto Veneris Lipsicæ pullo, item: Spicilegium Controversiarum.* §. 62. *Explicatio Tituli Commentationis super invenusto Ven. Lipsi. pullo.* §. 63. *Alberti Dn. de Seckendorff consortem litis adsciscit. Ejus scripta ultima contra Pufendorffium. Dn. de Seckendorff Sententia de fundamento juris naturæ genuina.* §. 64. *Strimesius & Alberti simul Pufendorffium oppugnantes inter se ipsos colliduntur.* §. 65. *Alberti fictiones non admittit, si aliter se rem habere ex Scriptura constet, & tamen ipse talia fingit.* §. 66. *Pufendorffii Epistola ad amicos suos per Germaniam, ubi inter alia etiam Schertzero adhuc respondet.* §. 67. *Exhibetur summa diversarum hypothesium circa fundamentum juris naturæ, Scholasticorum.* §. 68. *Grotii, Hobbesii, Pufendorffii, Alberti & Strimesii. Mevii Prodromus jurisprudentiæ Gentium communis, ejusque Sententia. Adducitur Judicium Dn. Pauli de hoc Prodromo Meviano. Quid ipse Dn. Pauli hac in re statuat?* §. 69. *Alia aliorum principia juris naturæ. Convenientia cum recta ratione. De honestis faciendis, suum cuiq; tribuendo, mutua benevolentia, amore, &c.* §. 70. *Dn. Thomasii Institutiones Jurisprudentiæ divinæ.* §. 71. *In quo cum Pufendorffio consentiat & ab eo dissentiat.* §. 72. *Qualia fata expertæ sint hæ Institutiones?* §. 73. *Controversia cum Joh. Ludovico Praschio. An jus naturæ ex Scriptura hauriendum? Confusio Disciplinarum vitanda.* §. 74. *M. Rotthii nuperæ imputationes, quæ breviter recen-*

sentur

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [15] · ·

sentur & binis semper interjectis verbis refelluntur. §.75.76.77.78.79. *Hypothesis Dn. Bodini in Dissertatione de jure Mundi, cujus potiora momenta breviter excerpuntur. Ordo Naturæ, distinctio inter jus naturale & naturæ.* §. 80. *Gradus amoris.* §. 81. *Effectus juris naturæ.* §. 82. *Dubia contra hanc hypothesin publicata.* §.83.84.85.86. *Sententia Dn. Buddei & Dn. Müldeneri.* §.87. *Dn. Cocceji Dissertatio de principio juris naturalis unico, veró & adæquato.* §. 88. *Recensentur cogitationes Anonymi cujusdam contra Dn. Coccejum publicatæ,* §. 89. *usque ad* §. 100. *Explicatur mens Pufendorffii, ipsumq; voluntatem Dei non excludere ostenditur. Explicatur quoq;, quid per principium socialitatis intelligatur.* §. 101. *usque ad* §.106. *Alii scriptores ad hanc materiam pertinentes.* §.107. *Historia juris divini positivi universalis. Distinctio inter Leges morales, ceremoniales & forenses, item in Legem moralem & positivam.* §.108. *Distinctio illa minime accurata est, quod exemplis ostenditur.* §.109. *Grotius jam Legem aliquam divinam positivam universalem agnovit. Alii, qui eum hac parte secuti. Kulpisius existentiam hujus Legis peculiari Tractatu comprobare voluit.* §. 110. *Occasio, quomodo Schertzerus adductus fuerit, quod hanc quoq; Legem existere asserverit. Lyseri Tractatus.* §.111. 112. *Varia hujus Legis appellatio.* §.113. *Ejus indagatio suscepta à Dn. Thomasio. In quo conveniat cum Lege naturæ, & in quonam ab eadem differat. Tria ipsius requisita.* §. 114. *Quomodo cognosci possit, an Lex aliqua, quæ in S. Scriptura reperitur, sit positiva, universalis, an particularis tantum,* §.115.116.117. *Ulterior hujus instituti prosecutio in Institutionibus Jurisprudentiæ Divinæ.* §. 118. *Consentientes adducuntur & tota historia adjunctô voto finitur.*

§. 119.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [16] · ·

Q. D. B. V.

DELINEATIO HISTORIÆ JURIS NATURALIS.

§. 1.



Nter omnia, quæ habentur, jura & divina & humana antiquiſſimum ſine dubio eſt *jus Naturæ*, quippe ad quod jam *Cicerone* Autore non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Dum enim reliquæ Leges, *poſitivæ* dictæ, ad ſui notitiam certam quandam revelationem, ſive divina illa ſit, ſive humana (aliás *promulgatio* vocari ſolita,) neceſſariò requirunt nec ſine hac à quoquam addiſci poſſunt, inſuper quoque plurimæ earum non prius quàm creſcente hominum malitia inſtitutisque rebus publicis latæ fuerunt; ipſa è contrario juris naturæ denominatio indicat, hoc quàm primùm natura humana eſſe cœpit, & ipſum ſuum initium habuiſſe, atque adeò peculiari quodam revelandi aut promulgandi genere non indigere, ſed rationem hominis ita comparatam eſſe, ut ſi ad juſtam maturitatem pervenerit, præcepta ex illa fluentia præcedente meditatione facilè ipſa colligere valeat. Et hoc eſt, quod Apoſtolus dicit *Rom. 2. verſ. 14. 15.* Gentiles, etiamſi lege (ſcriptâ) deſtituantur, nihilominus tamen naturâ facere opera legis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [17] - 1

gis, quippe qui legem non habentes ſibi ipſis Lex ſint eoque indicent, opus legis cordi eorum inſcriptum eſſe, quia ſcilicet conſcientia & cogitationes ſeſe invicem aut accuſantes aut exculpantes eosdem convincant.

§. 2. Quemadmodum autem Hiſtoriam literariam in genere alterum Eruditi oculum jure dixeris, & is demum hanc illamve Diſciplinam ex fundamento, ut dicunt, ſibi familiarem reddiderit, qui ſcilicet perſpectum habet, quomodo circa tradenda ejus fundamenta Doctores inter ſe diſſentiant, quibusque diverſæ fortunæ caſibus eadem ſubjecta fuerit: Ita quoque ad ſolidiorem juris Naturæ cognitionem omninò requiritur, ut juris hujus cultor varia ejusdem fata & hypotheſes diverſiſſimas, quibus alter ab altero vanæ ſæpius gloriæ captandæ causâ diſcedit, paulò accuratiùs ſcrutetur, utilitatem exinde non minimam ſentiet. Primo quidem, ut, ſi ætate ſuâ non parùm lucis illi acceſſiſſe ſentit, & hoc ipſum benignitati divinæ acceptum ferat, quippe à qua omne bonum & hac in parte unicè promanat, deinde verò ut poſitis juxta ſe invicem tot opinionum cumulis, quænam veritati ex illis proximè accedat, probè dijudicare poſſit, neque verò more Sectariorum, in verba Magiſtrorum ſuorum jurantium, omnes in univerſum ab hypotheſi Doctoris ſui diſſentientes, exterminatos velit, ſed ubique veritatem quærat, & dum erronea Autori alicui condonat, nihilominus tamen, quod rationabile, quod juſtum, quod veritati conſentaneum deprehenderit, ſuum faciat, & in ſuccum, ut dicitur, & ſanguinem convertat.

§. 3. Scio equidem nonnullos, quibus amœnos Doctrinæ moralis fontes guſtare nunquam licuit, juventutem duabus præcipuè in medium adductis ratiunculis à nobiliſſimo pariter ac utiliſſimo juris Naturæ ſtudio deterrere ſolere, inter quas palmariam ponunt, quod ob tantum conflictum eorum, qui juris hujus interpretes haberi volunt, nihil certi & quod in vita practica, ſeu civili, uſum habeat, reperiri poſſit; Sed hi, uti ſe ipſos miſerè decipiunt, ita eorundem unicus hic ſcopus eſt, ne ſcilicet aliis oculi aperiantur, vel ultrà ipſos ſapere incipiant, quod magno ſibi dedecori fore haud iniquè cenſent. Producant ſaltem boni ejusmodi viri aliquam diſciplinam, in qua diſſenſus inter eruditos non reperiatur. Sanè ſi ipſorum voto res agenda eſſet,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [18] : 2

eſſet, nemo ipſi Theologiæ ob infinitas & longè plures, quàm in jure naturæ, tot Theologorum inter ſe litigantium diſſenſiones, operam navare deberet. Et quid de ipſo jure civili, præcipuè Romano noſtro, fieret? Ego quidem nemini hoc fundamento ſuppoſito autor eſſe vellem, ut eidem ſe prius manciparet, quàm opiniones illæ communes contra communes in ſuavem conſonantiam redactæ fuerint, quod tunc quidem ſine omni prorſus dubio futurum eſt, quando homines amplius non erunt. Atque adeò iſta territio parùm in receſſu habebit. Imò tantùm abeſt, ut diverſitas opinionum omnem certitudinem tollat, ut potius perpenſis Doctorum ſibi contradicentium rationibus eò facilius & tutius veritatem aſſequi valeant illi, qui cœcô autoritatis vel præcipitantiæ præjudiciô non faſci nati, opiniones non numerare, ſed ponderare didicerunt. Quamvis & hoc addi poſſit, ipſos quoque diſſentientes, circa concluſiones deducendas & vitæ rationalis præcepta tradenda tamen utplurimum inter ſe convenire, quod fuſius oſtendi poſſet, ſi à ſcopo noſtro in præſenti non abiret.

§. 4. De altero ſaltem fundamento adhuc paucis videamus. Inutile ajunt, ſtudium juris naturalis eſt, cum ad panem lucrandum neutiquam faciat. Alleges, pergunt, Grotium, Pufendorffium aliosq; Juris naturæ celeberrimos interpretes in cauſis forenſibus, oleum & operam perdes, imò Judex miſerum conatum tuum riſu excipiet. Contra verò, ſi centuriis legum ex Corpore Juris depromptis, ſi myriade Doctorum, Bartoli, Baldi, aliorumque ſtipatus incedas, Papæ! clamant, quantus exinde in Clientem redundat fructus, tantus ſcilicet, ut Adverſarius non ſolum armis abjectis palmam ultro tibi relinquat, ſed & Judex, ſive velit, ſive nolit, ex voto tuo ſententiam ferre teneatur. Sed nondum animum deſpondeo. Sint ejusmodi Judices; non tamen ſunt omnes, ſed reperiuntur etiam, qui ultra Pragmaticorum formulas ſapere didicerunt, & qui centones allegationum juridicarum tanti faciunt, ut ne legere quidem illos dignentur, ſed ſæpiſſimè inter duos, quorum alter quantus quantus eſt, allegatis ſcatet, alter autem rationes evidentes, licet paucas & breves ex circumſtantiis facti, & ſanâ ratione adducit, huic victoriam tribuant. Deinde non ſequitur, quod is, qui juri naturæ ſedulam operam navavit, poſtmodùm ſi praxi admotus fuerit, ſemper Grotium, Pufendorffium, aliosque

crepare obſtrictus ſit ; Eſt hæc conſuetudo Rabularum & Legulejorum, qui opinionibus, non ratione, reguntur. Sufficiet, ſi Grotius & reliqui ipſum eò perducant, ut quid juſtum injuſtumve ſit juſtâ meditatione præviâ ab invicem ſecernere poſſit.

§. 5. Facit ſanè *judicium* in jurisconſulto utramque paginam, quô ſi deſtituatur, non aliud Ens, quàm ligneum ferrum vocari poterit. Unde ea potiſſimum ſtudia illi excolenda erunt, quibus judicium acuitur ; At huic ſcopo quàm maximè inſervit juris naturalis Doctrina. Cum nempe impoſſibile ſit, quod omnes omninò caſus ſpecialibus legibus determinari queant, quia ſunt innumeri & jus circa eosdem per minimam quoque circumſtantiam variatur; propterea juris cultor tali quodam artificio inſtructus ſit oportet, vi cujus lege etiam deficiente per juſtam ratiocinationem & habitum interpretandi eundem juxta analogiam juris decidere poſſit, nec ſemper ad Decidentes & Conſulentes, qui caſus in terminis terminantibus habent, recurrere opus habeat. Non deſtituuntur quidem uſu ſuô etiam iſtiusmodi Autores; Verum enim verò confirmationis tantum & illuſtrationis gratiâ adhiberi, non exſcribi debent. Scilicet illi, qui manum propriam rei admovere dubitant, niſi aliorum humeris fulciantur, nimis craſsè ſe produnt, quod quidem pro artificibus ſe gerant, ſed tamen neceſſariis ad artem inſtrumentis ipsâque artis cognitione deſtituantur & alienis ſolummodò plumis ſuperbiant. Ulpianus ſanè, Papinianus, Modeſtinus, Paulus, Marcellus & alii, quorum fragmenta in Pandectas relata ſunt, tot caſus ſpeciales, qui legum titulô allegantur, decidere haud potuiſſent, ſi doctrina juris naturalis imbuti non fuiſſent, unde etiam originem habet, quod quia Leges illæ Romanæ maximam partem nihil aliud ſunt, quàm Concluſiones ex jure univerſali deductæ, eædem ſeſe Eruditos in plurimis Regionibus & Provinciis tantoperè commendaverint, ut non parum temporis illis interpretandis & in uſum deducendis inſumſerint. Cùm verò & nos hodie non minùs, quàm illi, ſimus animalia rationalia, cur non & nobis ex eodem fonte, ex quo illi haùſerunt, haurire liceret?

§. 6. Hæc monere neceſsitas poſtulavit, quandoquidem ſi ipſum jus naturæ nullum uſum præberet, ſed inter diſciplinas incertas atque inutiles referendum eſſet, & nos in delineanda ejus Hiſtoria

omnem

omnem operam perderemus. Jam ad rem ipsam propiùs accedamus. Jus naturæ statim cum homine cœpisse diximus §. 1. id tamen cum grano salis accipiendum est. Scilicet separandi à se invicem sunt status integritatis ante, & status Depravationis post lapsum. In statu integritatis quidem etiam jus aliquod naturæ cordi humano inscriptum erat, sed quemadmodnm homo tunc temporis summa virium perfectione gaudebat ita & illud jus à jure post lapsum totô cœlô differt, adeòque cum præsentis statûs norma esse nequeat, nec ad præsentem tractationem pertinet. Obtinebat certè tunc, quod Apostolus *1. Timoth. 1. v. 9.* dicit, *justo legem non esse positam*, hoc est, quod justus licet Legibus obligetur, non tamen modô legali & coactè, sed ex amore ergà Legislatorem illis se conformem gerat. Ergò si accuratè loqui volumus, jus naturæ quo nunc quidem utimur, non cum homine integro, sed corrupto & lapso esse cœpit. Ne autem dubium subnascetur, quâ ratione & statu ejusmodi imperfecto & corrupto jus aliquod deduci possit, sciendum est, locutionem illam, quod natura humana corrupta sit, non esse *absolutam*; sed *comparativam*, factâ scilicet collatione status præsentis cum statu ante lapsum integro. Atque adeò in tantum solummodò corrupta est, ut homo viribus naturalibus ad ea jam pertingere non possit, quæ quidem homo integer non modò voluntati Creatoris consona esse perspiciebat, sed & iisdem actiones suas, imò & motus internos, exactè conformabat; suô tamen modò adhuc dum etiam recta dici poterit, quatenus scilicet homo ex solâ ratione quid pacem & tranquillitatem publicam turbet, quidve eam conservet, & quid adeò ipsi saltem *externè* faciendum sit, optimè perspicere valet.

§. 7 Ergò jus Naturæ originem suam sumsit, quam primum homines in præsenti statu, depravationis scilicet, esse cœperunt. Et Adamus quidem, conditor ille universi generis humani, regulas hujus juris ad amussim servavit omnes, in quantum quidem conditio humani generis, quæ tunc obtinebat, eundem ad hoc adstrinxit. Ast liberi ejus eandem viam non omnes calcabant. *Cainus* siquidem occisô fratre *Abele* & extructa prima civitate *Hanoch*, *Gen. 4. v. 8. & 17.* summa imis miscebat, reliquias imaginis divinæ & scintillulas sanæ rationis extinguebat, neque extructione modò nominatæ civitatis suam suorumq; securitatem & defensionem, sed aliorum perniciem unicè intendebat,

quem, posteri ejus ut plurimum sequebantur. *Sethus* contra ejusque progenies vitam suam secundum rectæ rationis dictamen instituentes, Deo accepti erant, licet ex postfacto etiam ab impiis seducerentur, *Gen. 6. v. 1. seqq.* ut ferè solus *Noachus* exemplar vitæ & morum remaneret, quemadmodum DEUS ter O. M. de maximâ improbitate hominum acerbè conqueritur *d.l. v. 5. seqq.* imò in tantum crescebat malitia hominum, ut eos tandem diluviô universali ob hanc causam suffocaret, *Gen. 7. v. 11. seq.* Post Noachum plurimi fuerunt, e. g. *Abrahamus, Isaac, &c.* qui Juris naturæ præcepta vitâ suâ expressêrunt, quos tamen singulos adducere, nostri instituti non est, qui non Historiam personarum, qui secundum Jus naturæ vixerunt, sed ipsius juris, quatenus in disciplinam redactum partem aliquam Philosophiæ constituit, tradituri sumus. Neminem autem Patriarcharum Systema aliquod Juris naturæ orbi erudito, ut secundum nostrum stylum loquar, exhibuisse deprehendes, quandoquidem illi, eorumque proba soboles, non tam intellectum, quam voluntatem potius perficere allaborabant, unde & ipse DEUS cùm speciale cum Abrahamo pangeret fœdus. *Gen. 17. v. 1.* ipsi non præscribebat, quomodo subtili ratione essentiam divinam concipere, de ea disputare, dissentientes refutare ac demùm fugare deberet, sed summa hucredibat, *ut coram Jehovah omnipotente vitam suam in pietate transigeret*, Ich bin der allmächtige GOtt / wandele für mir und sey fromm / Conf. *Gen. 24. v. 40. it. C. 48. v. 15.* Apud nos autem res inversa est: Ridemus eos, qui virtuosè vivere allaborant, & è contrariò optimos Moralistas prædicamus illos, qui quidem in charta regulas morales præscribunt, ipsi autem Doctores Morales haud rarò sine moribus existunt.

§. 8. Neque etiam post institutam Hebræorum Rempublicam alia Disciplinæ nostræ facies fuit. Mireris sanè absque dubio, cur non in hacce Republica, uti hodiè, scholæ publicæ & Academiæ introductæ & in iisdem Disciplinæ secundùm omnes quatuor Facultates juventuti traditæ fuerint, & haberes fortè, quod carperes, nisi Ejus conditor & instaurator ille fuisset, cujus cogitationes ab hominum cogitatis longè sunt diversæ, & qui ipse omnis sapientiæ & perfectionis unicus fons, & origo est. Interim quidem Sapientiæ, Siracidis, Proverbiorum

rum, &c. Libri meris ad instruendos vitæ mores pertinentibus præceptis atque Regulis scatent, justum tamen aliquod & ad regulas artis hodiernæ exasciatum systema non conficiunt, neque spinosas & ab hominibus scholasticis magnô cum fervore agitatas controversias, ut *Monzambano* alicubi loqui amat, decisas tradunt, sed mox hoc, mox aliud officium inculcant, eôdemque simul, systematicam traditionem ad perfectionem alicujus Disciplinæ, præcipuè practicæ, absolutè non pertinere, perspicuè docent.

§. 9. Dicis: Si traditio systematica, si decisio quæstionum subtilium non pertinet ad perfectionem disciplinæ practicæ, & per consequens nec ad perfectionem juris naturæ; Cur ergò suprà §. 2. illud donum Dei esse deprædicâsti, quod jus naturale in Germania hôc præcipuè seculo magis magisque excultum & in justam artis formam, sive Systema, redactum fuerit? Respondeo, distinguenda esse diversa tempora, atque tunc suppositâ hac diversitate assertionem meam non esse *absolutè* sed *respectivè* intelligendam. Scilicet si abstrahendo ab his aliisve circumstantiis de perfectione alicujus disciplinæ disquirimus, forma artis seu Systematica ad perfectionem ejus neutiquam pertinet, modo aliàs doctrinæ, quæ traduntur, veræ sint, & à corruptelis pravis liberæ: Aut quando certum aliquem statum supponimus, aliud omninò quoq; hac in parte asserendum venit. Sic quando in Germania, quod exemplum domesticum est, Scholasticorum Patriarchæ eorumque Asseclæ totam juris naturalis doctrinam commentis & figmentis suis ita conspurcaverant, ut vix minima ejus particula incorrupta supereſſet, de quo infra pluribus agetur; certè pro ingenti divino beneficio reputandum est, quod ejusmodi nebulæ hactenus feliciter dispulsæ & nobilissima Disciplina per viros omni Eruditionis genere instructos, pristino suo nitori iterum restituta fuerit.

§. 10. A Judæis ad Gentiles progrediamur. Hi verò quoniam, ut notum est, in duas classes dispescuntur, *moratiores*, & *barbaros*, de singulis quoque seorsim videndum erit. A moratioribus incipiemus, quorum nomine præcipuè Græci & Romani venire solent. & Græci quidem Philosophi, dum circa hypotheses Disciplinarum maxime inter sese dissidebant, propterea in quatuor præcipuè Sectas, *Epicuream*, *Stoicam*, *Platonicam*, & *Aristotelicam* dividebantur. Quamvis

vis enim adhuc quinta, *pythagorica* ſcilicet, numerari ſoleat, ea tamen neſcio quô malô factô penitùs extirpata fuit, ut nec de dogmatibus ejus certi aliquid habeamus, præterquam quæ vir doctiſſimus, *Schefferus* in Tractatu *de Philoſophia Italica*, ex ruderibus quaſi collecta nobis exhibuit. Quantum verò ad Sectas reliquas attinet, longus ſe nobis de hypotheſibus eorum inſingulis philoſophiæ partibus aperiret campus, ſi ad ſcopum noſtrum illud pertineret, neque id jam diu à Viris Celeberrimis, *Hornio*, *Voſſio* aliisque in Tractatibus ad illuſtrandam Hiſtoriam Philoſophicam pertinentibus præſtitum eſſet. Non ergò amplius de illis ſoliciti erimus, quàm quidem ad ſupplendam Hiſtoriam juris naturalis, & qualis hujus Diſciplinæ eorum ævô ſtatus fuerit, è re eſſe videtur.

§. 11. Et quidem non deſunt, qui ex omnibus hiſce Sectis Philoſophiæ morali egregiam navarunt operam. *Socrates*, Platonis Præceptor, id ferè unice ſibi propoſitum habuit, ut mores hominum depravatos ad normam rectæ rationis formaret de quo luculentum teſtimonium perhibent libri duo *de Vita & dictis Socratis*, quos idiomate Gallico per *Dn. Charpentier* conſcriptos Germanicè vertit *Excellentiſſ. Dn. Thomaſius*, maximo Germanorum & præcipuè eorum, qui linguarum peregrinarum ignari, emolumento. *Plato* ipſe in Dialogis ſuis, qui Critonis, Philebi, Menonis, Alcibiadis & Charmidis nomina præ ſe ferunt, haud rarò morum Doctorem ſe exhibet. Præcipuè autem *Stoici* præ aliis Philoſophiæ partibus, rationali ſcilicet & naturali, (ita enim diſpeſcebantur univerſum Philoſophiæ ambitum,) moralem ſtrenuè excolebant, id quod *Senecæ liber de Beneficiis*. aliaque *Epicteti, Arriani, M. Aurelii Antonini Imperatoris & Philoſophi*, ſcripta abundè teſtantur. Collegit eorum doctrinas *Lipſius in Manuductione ad Philoſophiam Stoicam*, iisdemque pariter ut *Scioppius* maximè deditus fuit, qui ultimus in ſpecie in libro, quem *Philoſophiam moralem Stoicam* inſignit, ſerio optat, ut hæc Philoſophia in Scholis iterum introduceretur. Sectæ huic addicti fuere JCti, ex quibus Pandectas Tribonianus & Socii ejus compilârunt, prout deducit *Juſtus Reiffenberg ad Senecam de Conſtantia p. 3.*

§. 12. *Epicurus* plurima de Philoſophia naturali, de morali pauca tradidit: Nihilominus tamen inter hæreticos Philoſophiæ moralis ferè relatus eſt, ex ea cauſa, ac ſi ſummum hominis bonum in fœdis corporis

poris voluptatibus consistere docuerit, ubi tamen ejus innocentiam *Petrus Gassendus*, Philosophus Gallus, demonstravit, & omnem culpam in assecias ejus mentem Doctoris sui pravè interpretantes rejecit. Supereſt *Aristoteles*, qui Platonem quidem Præceptorem habebat, ab istius tamen placitis discedens Sectæ notissimæ, Peripateticæ, autor extitit. An & quid hic in Philosophia morali præstiterit, non opus est, ut longâ serie recenseamus. Paucissimi enim deprehenduntur, qui non in Scholis vitam suam ad catalogum undecim virtutum aureamque Aristotelis mediocritatem componere à prætenso præceptore jussi fuerint, imò & adhuc plurimi in Ethica Aristotelis vera justi & injusti fundamenta latere, atque adeò juris Studiosum ejus cognitione non magis quàm pane quotidianô carere posse, intrepidè affirmant.

§. 13. De *Romanis* Philosophis nihil novi addimus, sed cum hi sapientiam, uti vocari solet, à Græcis acceperint, propterea etiam horum vestigia secuti sunt & in easdem, in quas Græci, Sectas discesserunt, licet non diffitendum sit, unam alteri semper prævaluisse. Ita Philosophos, Ulpianum, Modestinum, Labeonem, Paulum &c. in castris Stoicorum stipendia meruisse ex Reiffenbergio §. 11. vidimus, quorum doctrinis *Cicero* etiam maxima ex parte subscripsit.

§. 14. Aberrarem quàm maximè à scopo, si diversissimas harum Sectarum opiniones mihi in præsenti examinandas sumerem, non minus, ac si omnia illorum nomina, qui in hac illave Secta præ cæteris omni ævô claruêre, quæque scripta ab illis edita fuerint, longâ serie adducere laborarem. Relinquendum hoc est illis, quibus integram Historiam Philosophicam conscribere animus est. Nobis hoc tantummodò observasse sufficiat, omnes illas Sectas, qualesquales etiam fuerint, finium inter Ethicam & Jus naturæ accuratè regundorum debitam rationem non habuisse, imò magis circa interna, moderationem scilicet affectuum, occupatas fuisse, & sic de jure naturæ, quod externa solummodò moderatur, parum aut nihil præcepisse. Quamvis enim *Cicero* in libris *de Officiis* normam actionum humanarum convenientiam cum socialitate humana ponat, (magis quidem paræneticè, quàm Systematicè;) Attamen & hic doctrinam quatuor virtutum Cardinalium sequitur, adeoque ut cæteri disciplinas illas inter se maximè

affi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [25] - 9

affines confundit. Nec refert, quod apud alios juris naturæ expressa mentio fiat. Sic Ulpianus *in l. 1. §. 3. ff. de J. & J.* & ex eodem Tribonianus *in pr. J. de J. N. & G.* ejusdem definitionem affert. Primo enim intuitu ex verbis: *jus naturale esse, quod natura omnia animalia docuit*, apparet, vocabulum *juris naturalis* planè abusivè accipi & niti fundamento Philosophiæ Stoicæ, quod etiam Bruta ratione gaudeant, de quo v. *B. Jac. Thomasii Physic. C. 38. qu. 32. & Horn. de Subjecto juris nat. per tot.* adeoque jus illud naturæ nihil est, quàm instinctus naturalis, homini cum cæteris animalibus communis, quod ex exemplis in *d. l. 1. §. 3.* de maris & fœminæ conjunctione, liberorum pro creatione & educatione subjectis, facile perspicitur. Fateor quidem viros hosce juris naturalis notitiam exactam omninò habuisse, *v. suprà §. 5.* nihilominus tamen ex illis, quæ hactenus allata sunt, tutò concludi posse censeo: Apud Græcos & Romanos jus naturæ per modum peculiaris Disciplinæ exactè nunquam fuisse traditum.

§. 15. Progredimur ad Populos *barbaros*. Hi verò quia vel planè nulla Studia apud eos floruerunt, vel saltem non talia, quæ doctrinæ morali lucem afferunt, (aut si floruerunt, injuria tamen temporum perierunt, (otium nobis faciunt, quod in recensendis eorum hypothesibus nos detinere planè non opus habeamus. Neque enim, quod Persæ, Chaldæi, aliique Astrologiam & Magiam præcipuè excoluerint, ad nos in præsenti pertinet. Positò autem, extare Scriptores horum etiam populorum, qui hac in parte memoratu dignum aliquid tradiderint, quò referri posset, *Schieh Sadi* Rosenthal/ quem *D. Olearius*, Holsaticæ quondam Legationis ad Regem Persarum Secretarius, erudito orbi communicavit; Idem tamen hîc erit monendum, quod in §. *Præc.* diximus, scilicet, non pertinere ejusmodi monita moralia tàm ad jus naturæ, quàm ad ipsam Ethicam, vel si etiam ad jus naturæ spectarent, non tamen ea in formam justæ disciplinæ unquam fuisse redacta, sed esse particularia, quale judicium de Fabulis Æsopicis aliisque ejus generis libellis quoque ferendum.

§. 16. *Germanos* nostros quod attinet, illi ad classem eorum barbarorum referendi, apud quos nulla planè studia floruerunt, prout *Tacitus de moribus Germanorum* nos docet. Non verò propterea sunt vituperandi. Eos enim magis præcepta juris naturæ observâsse, quàm quidem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [26] - 10

dem delicatulos Romanos aliosque, qui multa de moribus garriebant, ex modò citato Tacito & reliquis rerum Germanicarum antiquarum Scriptoribus haud obscurè evincitur. Licet ergo Germania ob defectum omnium studiorum literariorum cæteris populis barbaris olim deterior longè fuerit; in eo tamen discessum fecit ab iisdem, quod successu temporis mutationem morum (an in melius, an verò in deterius, jam non dispicio) & simul etiam circa culturam ingeniorum novam faciem induerit, id quod nobis hâc vice, præsertim quantum ad jus naturæ spectat, paulò distinctius explicandum est.

§. 17. Post introductum in Germania tempore Clodovæi & præcipuè Caroli M. Antichristianismum (ita enim rectius vocatur crassissimus Papatus illis seculis jamtum florens, quàm quod Christianismi nomine insigniri debeat,) omnis eruditio, qualis quidem tunc reperiebatur, penes Monachos & totam Clericorum Romanensium colluviem sedem habebat. v. omninò *Exc. Thomasii Disp. de Jure Stat. imp. dand. civit.* §. *10. seqq.* Unde olim duplices *Scholæ*, aliæ *Monasticæ*, in Monasteriis, aliæ *Canonicæ* in Canonicorum Collegiis erant, donec seculò demùm XIV. Academiæ & cum illis quatuor Facultates ex Italia in Germaniam transferebantur, de quo v. *Conring. de antiquit. Academ. passim.* Sed & ipsæ Academiæ miseram faciem habebant. Theologus enim erat Monachus, JCtus erat Monachus, Medicus erat Monachus pariter ut Philosophus (unde factum, quod in Aulis Principum Monachis & Clericis summa quælibet officia concredita fuerint, ut exemplum Archicancellariatus, cui Moguntinus adhuc hodie præfectus, inter alia testatur. Quid verò à nigris hisce pectoribus illo tempore erat expectandum? Sane Professores Juris nil nisi Justinianum & Tribonianum crepantes, ne quidem cogitabant, existere aliquod jus naturæ in rerum natura, cum de eodem Systema in centonibus Triboniani non deprehenderent. Et qui potuissent homines religiosi tantum facinus admittere, ut ultra Imperatorem Romanum ejusque Magnificum Exquæstorem saperent? Philosophi contra glebæ Aristotelicæ adscripti intra cancellos mediocritatis & undecim virtutum sese continebant, firmiter credentes, non reperiri sapientiam Aristotelicâ majorem, adeoque etiam jus naturæ, licet tale existat forsan, sapientiæ non esse annumerandum, quippe de quo Aristoteles nihil scriptum reliquebat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41 Leibn. Marg. 41, Stück 4, [27] - 11

§. 18. Pereundum itaque fuiſſet nobiliſſimæ Diſciplinæ, niſi Theologi Romanenſes optimam hanc occaſionem arripuiſſent, mittendi falcem in alienam meſſem, finesque ſuos, quod dudum exoptaverant, latius extendendi. Et propterea doctrinam juris naturalis tàm ore profiteri, quàm ſcriptis etiam docere ſtrenuè aggrediebantur. Sed neſcio, an non meliùs fuiſſet, ſi ea planè periiſſet, quàm ubi hoc modô ſervata fuit? Sanè non puto tantùm operæ neceſſarium fuiſſe ad eandem è mortuis quaſi reſuſcitandam, quantum quidem ſubſecutis poſtea ejusdem reſtauratoribus in repurgatione à ſtercore Scholaſtico adhibere coacti ſunt.

§. 19. Ut paucis comprehendam, de quo jam ante Viri Celeberrimi maximas querelas moverunt, Theologi Scholaſtici, quia fundamentis genuinis deſtituebantur, ebriorum inſtar quicquid primò in manus veniebat, arripiebant. Hoc volo dicere, ſub nomine Diſciplinæ juris naturæ centonem ex jure divino naturali poſitivo, Romano, & ſi quid ulterius miſerè ſarcinatum Lectoribus offerrebant, atque adeò ſumma imis miſcentes nobiliſſimam doctrinam ita fœdiſſime conſpurcabant, ut vix & ne vix quidem agnoſci amplius poſſet. Videas hinc tot volumina Moraliſtarum ante & poſt Grotii tempora edita, quibus eruditum orbem onerârunt, Tractatus de Juſtitia & Jure, Reſolutiones morales, de Obligationibus &c. *Molinæ, Leonardi Leſſii, Antonii Dianæ, Fernandi Rebelli, Martini Azpilcuexæ, Dominici à Scoto, Durandi de S. Porciano*, aliorumque his ſimilium, qui vel ſolô nomine terribiles ſunt, ſtomachumque commovent.

§. 20. Placet, ſpeciminis loco adducere qualem tractatum hac in parte *Antonius d'Eſcobar* ediderit. Scripſit hic libellum ſub titulo *Theologiæ moralis*, qui eſt Compendium aliorum hujus farinæ librorum à XXIV. Jeſuitis editorum ſcilicet à *Suario, Vaſquezio, Molina, Toleto, Valentia, Sanchezio, Azorio, Sala, Laymanno, Franciſco & Johanne Lugo, Koninch, Rebello, Reginaldo, Leſſio, Caſtro-Palao, Saa, Petro & Gaſpare Hurtado, Fagundez, Gordono, Granados, Turriano, Baldello, Filliucio.* Hos Autor in præfacione cum XXIV Senioribus in *Apocal. c. 5.* Librum autem ſuum cum libro ibidem ab agno aperto comparat, quia ut liber apocalypticus ſeptem ſigilla, ita liber Jeſuiticus ſeptem partes habet, quarum 1. de Legibus, 2. de Peccatis, 3. de Juſtitia, 4. de Cenſuriis,

5. de

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [28] - 12

5. de Virtutibus, 6. de Statibus & 7. de Sacramentis agit. Quatuor animalibus, quæ Johannes *d. c. 5.* describit, & quidem *Bovi*, tanquam fortissimo agrorum versatori, comparat *Suarium*, (quia *Sues* die Aecker umwühlen:) volanti *aquilæ Vasquezium*: prudenti juris *homini Molinam*, ac tandem *Leoni* adversus hæreses rugienti, (uti diabolus adversus homines) *Valentiam*. Facit quoque mentionem *Toleti*, *Henriquez*, *Avilæ*, *Becani*, *Tanneri*, *Raynaudi*, *Meratii*, *Grethseri*, *Polandi*, *Busæi*, *Fernandez de Cordoua*, qui etiam ejusmodi libellos doctissimis (si Diis placet) Voluminibus elaborârunt. Acumina sanè hæc sunt & subtiles inventiones tantô ingeniô perdignæ!

§. 21. Sed quid refert, recensendis Scholasticorum nugis diutiùs inhærere? Ad tempora restaurationis progrediendum erit. Hæc seculô decimô septimô demùm surgente *Hugone Grotio* initia sumsêre. Mirum verô videri possit, cur non post Reformationem Thæologiæ etiam Doctrina moralis & jus naturæ meliorem fortunam sortita fuerit, cùm præcipuè Lutherus miseriam Philosophiæ Aristotelicæ hâc parte satis agnoverit. Non inutile fore puto verba ejus licet paulô prolixiora ex *Tom. 1. Altenb. p. 505.* (prout citatur à *Pufend. in Comm. super inv. Ven. Lipf. pullo p. 71.*) hîc transscribere. Die Universitäten / inquit, dürfften auch wohl einer guten starcken Reformation, ich muß es sagen / es verdriesse wem es wil. Ist doch alles / was das Pabstthum hat eingesetzet und ordiniret, nur gerichtet auf Sünde und Irrthum zu mehren. Was sind die Universitäten / wo sie nicht anders denn bißher verordnet / dann wie das Buch der Maccabæorum sagt: Gymnasia Epheborum & Græcæ gloriæ, darinnen ein frey Leben geführet / wenig die Heil. Schrifft und Christlicher Glaube gelehret wird / und allein der blind-heydnische Meister Aristoteles regieret / auch weiter denn Christus. Hier wäre nun mein Raht / daß die Bücher Aristotelis Physicorum, Methaphysicæ de Anima, Ethicorum, welches bißher die besten gehalten / gantz würden abgethan / mit allen andern die von natürlichen Dingen sich rühmen / so doch nichts darinnen mag gelehret werden / weder von natürlichen / noch geistlichen Dingen / dazu seine Meynung niemand bißher verstanden / und mit unnützer Arbeit / studiren, und kost so viel edler Zeit und Seelen umsonst beladen gewesen sind. Ich darff sagen / daß ein Töpffer mehr Kunst hat der natürlichen Dinge / dann in denen Büchern geschrieben stehet. Es thut mir wehe in meinem Hertzen / daß

der verdammte / hochmüthige / schalckhaffte Heyde mit seinen falschen Worten so viel der besten Christen verführet und genarret hat. GOtt hat uns also mit ihm geplagt um unser Sünde willen. Lehret doch der elende Mensch in seinem besten Buch de Anima, daß die Seele sterblich sey mit dem Cörper / wiewol viele mit vergeblichen Worten ihn haben wollen erretten / als hätten wir nicht die H. Schrifft / darinnen wir überreichlich von allen Dingen gelehret werden / (en increpationem & descriptionem des Aristotelischen Christenthums/) deren Aristoteles nicht einen kleinesten Geruch je empfunden hat. Dennoch hat der todte Heyde überwunden und fast unterdruckt/daß wenn ich solchen Jammer bedencke/nicht anders achten mag/ der böse Geist habe das studiren herein gebracht.

§. 22. Desselben gleichen / pergit, **das Buch Ethicorum ärger denn kein Buch / stracks der Gnade GOttes und Christlicher Tugend entgegen ist** / das doch auch der besten eins wird gerechnet. O nur weit mit solchen Büchern von allen Christen. Darff mir niemand auflegen / ich rede zu viel oder verwerffe / daß ich nicht wisse. Lieber Freund/ ich weiß wol / was ich rede. Aristoteles ist mir wol bekant / ich habe ihn auch gelesen und gehöret mit mehrern Verstand / dann S. Thomas oder Scotus, deß ich mich ohne Hoffart rühmen und wo es Noht ist / wol beweisen kan. Ich achte nicht / daß so viel 100. Jahr lang so viel hoher Verstand darinnen sich arbeitet haben. (En quam periculosus Novator & contemptor venerandæ antiquitatis sit Lutherus!) Solche Einreden fechten mich nimmer an / wie sie wol etwa gethan haben / sintemahl es am Tage ist / daß wol mehr Irrthum mehr hundert Jahr in der Welt und Universitäten blieben sind. Das möchte ich gerne leiden / daß Aristotelis Bücher von der Logica, Rhetorica, Poëtica behalten / oder sie in eine andere kurtze Form gebracht nützlich gelesen würden / junge Leute zu üben / wol reden und predigen / aber die Comment. und Secten müsten abgethan / und gleich wie Ciceronis Rhethorica ohne Comment. und Secten, so auch Aristotelis Logica einförmig ohne solche grosse Comment gelesen werden. (Sed tamen & Logicam & Rhetoricam Aristotelis, nullius pretii esse, cordatiores jam dudum evicerunt.

§. 23. Sed quæ causa, quod hoc Lutheri votum non ad effectum perductum fuerit? Si fatendum, quod res est, sine dubio impedimentum maximum erat æmulatio inter Lutherum & Melanchthonem,

nem, qui ultimus Philoſophiæ Scholaſticæ admodum adhuc favebat, eamque paulò aliter efformatam per varios libellos propagabat, unde & *communis Germaniæ Præceptor* ſalutatur. Et hic ipſe conatibus Lutheri ſe ſemper opponebat. Neque verò hæc æmulatio & diſcordia morte Lutheri finiebatur, ſed & ad aſſeclas tam Lutheri, quàm Melanchthonis tranſibat, unde variæ diſputationes, ſcommata & irriſiones ſequebantur, de quibus inter alia teſtatur Paſquillus in veteri MSC. repertus, ubi ad prænomen Melanchthonis, quod *Philippus* erat, ita alluditur:

PHY nota fœtoris, LIPPUS nocet omnibus horis:
PHY nocet & LIPPUS, nocet omnibus ergò PHILIPPUS.

Imò planè duæ Sectæ, *Lutheranorum & Philippiſtarum* oriebantur. Ergò illi, quorum intererat, has diſſentiones eſſe æternas, meliùs medium reperire non poterant, quàm ut Philoſophiam Scholaſticam cum terminis ſuis iterum extollerent, quò Principes controverſias non intelligerent nec deſiderent, (niſi ex mente Sectæ dominantis) illi contra autoritate pollerent & ſtatum œconomicum pro lubitu regerent. Ergò Profeſſores Theologiæ repurgationem non inſtituebant: neque etiam Philoſophi, quia hi poſtmodum plerumq; ad Theologiam ſe applicant & ita ipſorum pariter maximè intererat, Philoſophiam Scholaſticam retinere nec denique JCti, ne ex Theologis illos (qui hoc nomen falsò præ ſe ferebant:) irritarent & ab his, autoritate apud Principes pollentibus perſecutionem paterentur, vel Juſtiniano & aureæ praxi aliquid detraherent. Nam & tunc ultra Juſtinianum ſapere velle, crimen læſæ majeſtatis ferè involvebat.

§. 24. Atque adeò poſt Reformationem quoque uſu ad tempora Grotii Diſciplina juris naturalis in Scholaſticis tenebris & ſqualoribus ſepulta jacebat. Prodiit quidem jam ante Grotium A. 1615. Tractatus *Benedicti Winckleri de Principiis juris*, in quo longè ab ineptiis Scholaſticorum divertit, oſtendens præcipuè *l. 1. C. 3. 4.* omnem juſtitiam ad voluntatem Dei referri debere, neque aliam eſſe Legem Dei æternam, de qua Scholaſtici multa fabulantur, adeoque hic liber, licet diſtinctio inter jus naturale & poſitivum non ubique accuratè ſervetur, inter optimos ejus quidem temporis referendus eſt. Neſcio tamen quô malô fato effectum ſit, quod liber hic utiliſſimus neglectus, ſeu, ut rectius dicam, mole ineptiarum Scholaſticarum oppreſſus fuerit, ubi ad eas infrin-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [31] - 15

infringendas utiliſſimè adhiberi potuiſſet. *Conf. Dn. Begeri, JCti Lipſienſis Schediaſma de utili & neceſſaria Autorum Juridicorum notitia, p. 60. ſeqq.*

§. 25. Venio jam propiùs ad Grotium, cujus vitam prolixè deſcribit Autor Gallus *Louis Aubery, Chevalier, Seigneur de Maurier*, in libro cui titulus: *Memoires pour ſervir à l'Hiſtorie d'Hollande & des autres Provinces unies*, ex quo pauca ad ſcopum noſtrum facientia excerpemus. Steterat Grotius à partibus Barneveldi & porpterea bonis ejus publicatis ad carceres perpetuos condemnabatur eumque in finem in arcem Lövenſtein deducebatur. Poſtquam verò ope uxoris, Mariæ de Regelsberg, uti notum eſt, liberatus fuerat, in Galliam tendebat & feliciter quoque Pariſios veniebat. Hìc ſtipendiis Regiis inſtructus repurgationem Juris naturæ aggredi idemque injuſtæ artis formam redigere meditabatur, hortante non ſolùm, ſed & auxilia atque ſubſidia ad rem aggrediendam perficiendamque abundè ſubminiſtrante *Nicolao Claudio Fabricio Peireſciô*, Miniſtrô Regiô, *v. Bœcler. in præfat. Comm. Grot.* unde res eò deducebatur, ut A. 1625. Libros *de jure Belli & Pacis* in publicum ederet eosque Regi Galliæ, Ludovico XIII. inſcriberet. Id quidem certum eſt, voluiſſe ab initio Grotium libros hoſce titulô Tractatûs *de jure naturæ & Gentium* inſignire quidnam verò eundem ad mutandum conſilium induxerit, de eo nihil certi apud ſcriptores reperitur, *v. Henniges in Obſ. ad Titul. Oper Grotiani & Bœcler loc. prox. cit.* niſi quod aliqui Grotium dolô bonô uſum fuiſſe conjecturentur, ut liber ejus ſub grandi illo titulo ab hominibus aulicis & officialibus Regis tàm civilibus, quam militaribus eò avidius legeretur.

§. 26. Non poterat malè cedere labor à tanto viro ſuſceptus. Omnia enim quæ requiri poterant, in promptu & abundanter aderant. Meminit Autor Gallus, *Aubery*, anteà citàtus ſe audiviſſe a Viris Summis hoc elogium, quæ *Mr. Grotius étoit le plus univerſellement ſçavant homme, qui eût paru dans le monde depuis Ariſtote. Item: qu'il étoit Humaniſte conſommé, bon Poëte, Græc & Latin, parlant & ſachant bien toutes les Langues tant mortes, que vivantes, grand Theologien, grand juris conſulte & grand Hiſtorien.* Ita jam quoque *Baudius* de Grotio, cum juvenis adhuc *Maris liberi* jura aſſeruiſſet, dixiſſe fertur: *Se de ejus indole, doctrina, probitate & admirandis laudibus in omni genere Virtutum nihil tàm magnificè dicturum eſſe, quod ejus meritis reſpondere queat, v. Becmann. Parall. polit. Diſſ. 1, §. 5.* qualia ſum-

ſummorum virorum encomia quamplurima colligere perfacile poſſem, ſi non ipſa opera Grotiana omnia illa longè ſuperarent, & adeò teſtimoniis aliorum haud raro adulationem ſapientibus, ipſe haud indigeret.

§. 27. Fuit autem Grotii in adornandis libris de jure Belli & pacis hæc intentio ut jus humanum à divino, & quoad hoc poſitivum ſeu revelatum à naturali probè ſepararet & quæ diſtincta ex quolibet officia profluant, diſtinctè monſtraret. Scholaſtici enim, ut ſupra §. 19. vidimus, hæc omnia inter ſeſe miſcuerant. Fundamentum primarium, ex quo officia ſecundum jus naturæ deduceret, convenientiam cum ſocialitate humana ſubſtravit, quod jam olim certâ ratione *Ciceronem* in *libris de Officiis* feciſſe §. 14. dictum eſt, quos libros aſſiduè legit Grotius, iisque judice *Bœclerô præfat. Comm. ad Grot. p. 13.* multa debet, etiam ubi non oſtendit. Non tamen, uti debebat, Socialitatem ſolam pro fundamento agnovit, ſed ſimul Scholaſticorum convenientiam cum ſanctitate divina eidem adjunxit, de cujus inſtituti cauſa adſcribi merentur verba. *Dn. Thomaſii in Progr. quod præfixum eſt inſtit. Jurispr. div. p. 76. 77.* Nachdem Grotius, inquit, dieſe edle Diſciplin ein wenig unter der Banck herfür gezogen / und von dem Schul-Staube zu ſaubern angefangen / auch dieſe Bücher des Grotii auf denen Univerſitäten profidiret und von denen Profeſſoribus mit Commentariis erkläret und verdunckelt worden / hat die Sache ein gantz ander Anſehen gewonnen. Zwar iſt es nicht zu läugnen / Grotius brach am erſten die Bahn / und konte dannenhero dieſe Diſciplin nicht alſobald völlig ſaubern. Derowegen ob er ſchon guten theils das Recht der Natur in der Natur des Menſchen ſelbſt / wie billig / uñ in der allgemeinen friedlichen Geſellſchafft ſuchte / ſo wolte er es doch mit denen Scholaſticis und mit der menſchlichen Autorität nicht ſo fort auf einmahl verderben / ſondern bedunge ſich bald anfangs / daß er zuweilen auch der Uberein-ſtim̃ung und Beyfalls der alten Heydniſchen Philoſophen in Herleitung der Lehren des Rechts der Natur und des Völcker-Rechts ſich bedienen wolte; Er lobete die Schul-Lehrer wegen ihrer Modeſtie in diſputiren / und verſprach / daß er auch ſie zuweilen gebrauchen würde / wie er dann auch in ſeiner Definition des Rechts der Natur der Schul-Lehrer ihre Doctrin, daß die durch das Recht der Natur verbothene Dinge per ſe & antecedenter ad voluntatem divinam böſe wären / mit beybehalten / auch nach ihrer Anleitung geſchrieben / daß das Recht der Natur die Menſchen ver-

binden würde / wenn gleich kein GOtt seyn oder sich um die menschliche Händel nicht bekümmern solte. (*v. Ziegler ad Grot. Proleg. Verb. non esse Deum, ubi locum Thomæ huc facientem adducit.*) Und eben deßhalben glaube ich / sey es auch geschehen / daß man Grotium noch so auf den Universitäten hoch gehalten / oder doch passiren lassen / und ihn nicht confisciret / ob er schon in der Theologie fast durchgehends von den Lehren der Protestirenden Theologen, so wohl der Lutherischen als Reformirten anderer Meinung gewesen / die man zwar dann und wann / aber doch lange nicht mit so starcken Eyffer befochten / als wenn Grotius von der allgemeinen Meynung der Schul-Lehrer in denen Lehren / die das Recht der Natur betreffen / abgehet / oder nur die Mediocrität der Aristotelischen Tugend nicht passiren lassen wil. Hujusque Dn. Thomasius, cujus Programma, ex quo hæc adduximus, integrum legi meretur.

§. 28. Inter primos ad Grotium *Annotata* erudita conscripsit *Joh. à Felde*, cui quidem *Strictturas* opposuit *Grasvvinckelius*, is tamen à Feldeno in Responsionibus ad easdem (quæ secundæ Annotatorum editioni, Jenæ 1663. prodeunti, immixtæ sunt) ita exceptus fuit, ut post illud tempus semper tacuerit.

Joh. Henr. Bæclerus eodem A. 1663. edidit *Commentationem in Hug. Grotii Jus B. & P.* Sed absolvit solummodò librum 1. Tabulæ tamen adjunctæ sunt in totum Grotium, sed hæ alium Autorem habent. Posteà edidit adhuc Dissertationes quinque ad varia Grotii loca, quas tanquam appendicem ad Commentationem priorem adjungi voluit. Demùm A. 1664. secuta est Commentatio ad Capita 7. priora lib. 2. Reliqua adhuc expectantur. De hoc Commentatore *Sarcmasius A. 1669.* judicabat: *quod magis ex Commentariis, quam ex ingenio sapiat, & quod scribat sæpè in rebus moralibus frigidè, definiat controversias juris Nat. & G. perplexè, decidat dubitanter &c.* Quod librum Sarcmasii judicium, etsi tum temporis variis libellis famosis impugnatum fuerit, hodiè tamen à plerisque qui præjudicio autoritatis vacant, ut veritati maximopere conveniens approbatur.

Caspar Zieglerus, JCtus sine pari, *Notas & Animadversiones* ad Grotium conscripsit, breves quidem, sed tali virô tamen dignas. Vocat eas ipse in præfatione ad Lectorem repentinas & subitarias & simul narrat, quod vicibus in hoc labore turbatus & interpellatus fuerit.

Quid

Quid ergô expectandum fuiſſet à JCto celeberrimo, ſi eidem curas ſecundas poſtmodum adhibere potuiſſet?

De Commentario Joh. Adami Oſiandri Viros Eruditos aſſerere audivi quondam, quod politica pleraque, quæ in illo reperiuntur, ex Zieglero eodem tamen haud nominato, bonâ fide repetierit. Cenſuræ Theologicæ, quas immiſcet, ſapientiam Scholaſticam redolent, nec Grotio ſatisfaciunt. Neque excreviſſet ejus commentarius, in eam molem, qua laborat, niſi ſæpius aliquot paginas & folia ex Scholaſticis eidem inſeruiſſet. Edidit quoque aliàs *Typum Legis Naturæ*, in quo hypotheſes Scholaſticorum fusè quidem, ſed ita propoſuit, ut ejus lectio facilè dolorem capiti ſubtilitatum Scholaſticarum non adſveto afferre poſſit.

Henricus Henniges in Obſervationibus Politicis & moralibus in H. G. acriter ſubinde contra Zieglerum, Struvium, Limnæum aliosque diſputat. In præfatione tamen ſe excuſat, & proteſtatur, quod ad injuriam nullius hoc fecerit. Nec ſine judicio ſcripſit vir, tum quidem juvenis Philoſophiâ Johannis Friderici Hornii imbutus, cujus hypotheſes paſſim ſupponit aut declarat, nunc autem ſplendido Legationis munere in Comitiis Ratisbonenſibus fulgens.

Valentinus Veltheimius in Introductione in opus Grotianum ſecundùm hypotheſes Theologiæ moralis ſcholaſticæ ad Grotium commentatus eſt. Commodè ad hunc applicaveris, quod *Dn. Thomaſius in Progr. ſuprà §. 27.* adducto dicebat, daß Grotius von denen Profeſſoribus mit ihren Commentariis zum Theil ſey verdunckelt worden.

Nec ſilentiô eſt prætereundum *Joh. Georg Kulpiſii Collegium Grotianum*, quod quidem propriè Commentarius non eſt in Grotium, compendioſam tamen & perſpicuam Grotii tractationem exhibet. Allegati ibidem inveniuntur Autores, qui vel à Grotio diſſentiunt, vel eidem adſtipulantur, ſubjunctâ brevi epicriſi.

Tandem notandæ ſunt *Chriſtfriedi Wachtleri Lectiones Grotianæ*, quæ tamen nequidem librum ſecundum integrum abſolvunt, *Joh. Georg. Simonis Notæ*, qui & ſpecialia quædam Grotii Capita nonnullis Diſſertationibus Academicis illuſtravit, nec non, quæ noviſſimè prodierunt, *D. Joh. Reinh. Hedingeri, Prof. Gieſſenſis, Sicilimenta Philoſophiæ juris ex illuſtris Grotii libris de I. B. & P.* Hagæ Comitum A. 1688. lucem adſpexit verſio

sio Gallica librorum Grotii de I. B. & P. sub titulo: *Le droit de la guerre & de la Paix par Mr. Grotius, traduit du Latin en Francois par Monsr de Courtin*, in 12mo, quæ mentem Grotii perspicuè exponit & interdum ferè Commentarii locô esse potest.

Nec defuerunt, qui *Notas variorum* ad Grotium colligerent. Inter quos præcipuè *Joh. Christoph. Becmannus, Gronovius, Spinæus & Fesmarus*, qui præter ipsius Grotii & Gronovii notas, de suo novas addidit. Accesserunt quoque *Ulrici Obrechti* Observationes ad libros Grotii. Item *Gvil. Van der Muelen*, inter quem & *Sim. Henr. Musæum* controversia exorta, an Jus naturæ in statu integritatis fuisset? Prodierunt *Vander Muelen* Dissertatio *de Juris Naturæ Origine: Musæi Vindiciæ J. Nat. Paradisiaci: Muelen Defensio Dissertationis & Musæi Responsio ad hanc Defensionem. A. 1684. 86. 87. 89. V. Beyer de Notit. Aut. juridic. p. 23.* Summam controversiæ autem cum epicrisi exhibet *Exc. Thomas. Jpr. dic. l. 1. C. 2. §. 61. in not.*

§. 29. Stupenda multitudo Commentariorum, Annotationum, Observationum in unum Grotii librum! de qua subjungere libet elegans judicium *d. Dn. Kulpisii in Præfat. Colleg. Grotiani, ubi ita inquit: Si isthoc scribendi genere perrexerimus, futurum penitus credo, ut paria sequantur Grotium fata, ac Jus Romanum & Philosophia Aristotelis multâ infelicitate senserunt, ex quo infinitæ interpretum quorumcunque expositiones accesserunt traditionesque, siquidem deinceps non tàm de rebus ipsis, quàm verbis Grotii procul dubio esemus solliciti ac tandem super ipsis interpretum sententiis diversisque opinationibus philosopharemur, donec Notarum notæ & in Commentatores Commentarii iterum prodirent, quâ quidem re nihil est stollidius, nihil ad impediendam veram eruditionem fortius, nihil ad barbariem propius. Quantò consultiùs fuerit, cum ipso Grotio propiorem quandam contraxisse necessitudinem ac disciplinam ejus penitus imbibisse.* Næ, illustris Autor, simul tacitè Theologos Sectarios notat, qui non ex Scriptura S. Sed ex libris & Commentariis humanis disputant, & ab his discedere pro peccato in Spiritum S. ridiculè venditant.

§. 30. Locus jam est assignandus illis, qui aliâ ratione Grotio lucem afferre voluerunt. Illos intelligo, qui vel in quæstiones Grotium resolverunt, vel in aliam Compendii formam redegerunt. Huc pertinent *Jani Klenckii institutiones Juris Naturæ, Gentium & publici. Joh. Georg. Simonis Grotius Eroematicus. Joh. Henr. Sviceri Compendium Grotianum.*

Phil.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [36] - 20

Phil. Reinh. Vitriarii Institutiones Juris N. & G. Schefferi Nucleus, Müllerî Tabulæ. Gvil. Grotii Hugonis fratris, Enchiridion de principiis Juris Naturalis, quod ipsum nec à notis aliorum, *Simonis* scilicet & *Gözii* immune manere potuit. *Conf. Beyer. l. c. p. 24.*

§. 31. Quod Religionem Grotii attinet, ut obiter hoc addam, in nullius Sectæ verba jurâsse videtur, unde etiam apud plurimos Theologos omnium Religionum ob dogmata Theologica Operi de Jure belli & pacis insperså male audire solet. Imò ipse *Pufendorffius in præfat. libr. de J. N. & G.* eum hoc nomine taxat, quod ab orthodoxia recesserit. Sed hic postmodum ob eandem causam impetitus fuit, ut mox videbimus. Non defendam quidem omnes Grotii sententias, fuit enim homo, qui errare potuit; interim valdè placent, quæ *Dn. Becmann. Parall. polit. Diss. 1. §. 5.* hanc in rem affert. *Dolenda certè*, inquit, *rei literariæ ista infelicitas, quâ gloriæ nobis veritus, si quid boni ab altero prolatum impetere possimus: quasi verò non omnibus nobis in excitanda è ruderibus imagine divina laborandum sit, quod certè non subtrahendo rebus inventis, sed addendo effectum dabitur. Mechanici longè melius in rebus suis versantur, quibus si bonæ frugis sunt, non rem ab aliis suæ sortis malè gestam carpere, sed eandem etiam perfectam magis perficere curatio est, unde & tanta rerum à Mechanicis dependentium nostro tempore sublimitas. At nos meliorum haudquaquam satagentes, satis nobis ducimus aliena refutâsse. Sic quid res non sit, scimus cum ignarissimis, quid verò demùm sit, æternum ignoramus.* Optimum monitum, omnibus cœcô affectu præoccupatis meritò & diligenter commendandum.

§. 32. Claudat hanc materiam brevis rei tempore mortis Grotii gestæ commemoratio. Narrat Auberius, quem suprà §. 25. laudavimus, Grotium è Svecia redeuntem Rostochium appulisse ibique morbo correptum esse. Quid accidit? Durante morbô Clericus Pontificius, Lutherani, Reformati, Sociniani aliique accurrunt, eum invisunt & in suam quisque partem ægrotum pertrahere annititur. Disputant inter se acerrimè, & quilibet Grotium de veritate doctrinæ suæ convincere intendit. Quid ad hæc Grotius? An assumit argumenta, probationem petit & respondet? Minimè vero, sed fidem in solis conceptibus intellectus non consistere arbitratus, hæc duo verba regerit: *Non intelligo.* Cessant ergò Disputantes. Tunc Grotius: *Hortare me*, inquit, *ut Christianum morientem decet.* Pergo ad Hobbesium.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [37] - 21

§. 33. *Thomæ Hobbesii*, Malmesbunensis Angli, vita descripta est ab Anonymo & prodiit in 12mo Carolopoli 1651. unde potiora ad scopum nostrum pertinentia excerpemus. Vocatur autem ibidem in præfatione Vir supra communem mortalium sortem longissimè erectus, in quo Natura parens nondum effœta eximii cujusdam nixus specimen ostentare decreverit& qui inter summa scientiarum lumina& ornamenta, quæ seculum hoc magnorum ingeniorum feracissimum in lucem protulit, emicuerit: cui ingens mentis robur & vastus animus, gravissima cogitationum pondera, judicium acre, ratiocinium incredibili sagacitate admirandum.

§. 34. Singulare est, quod non modò Grotius opus suum de jure belli & pacis, sed & Hobbesius scripta ad Jus naturæ pertinentia in Gallia & quidem Parisiis in lucem ediderit. Cum enim Scoti depulsis Episcopis arma contra Regem sumsissent & in Anglia Parlamentum illud notum An. 1640. d. 3. Nov. convocatum esset, Hobbes ex iis, quæ in Parlamento tribus & 4. diebus primis consulta erant, bellum civile ingruere videbat, adeoque se iterum (nam jam antea cum Comite Devoniæ ibi fuerat) Parisios conferebat, & non multo post *Elementa Philosophica de Cive*, in quibus hypotheses ejus in jure naturæ continentur, publici juris faciebat. Migrare deinde in Languedociam constituerat, sed quoniam multi eorum, qui partes Regias secuti, & inter eos quoque Princeps Walliæ, tunc temporis ex Anglia in Galliam venerant, commendatus est dicto Principi, ut Elementa Matheseos ipsis prælegeret, quod etiam fecit atque adeò ab itinere destitit. Scripsit tunc quoque librum, (An. 1651.) cui titulus *Leviathan*, quem postmodum in Anglia edi curavit ipse manens in Gallia. Perstupendum illud animal, Leviathanem, Corpus politicum designare voluit, & simul in hoc libro jus Regium tum spirituale, tum temporale liquidò demonstrare annisus est. An. 1651. aliquot hujus libri exemplaria Londino in Galliam transmissa sunt, ubi Theologi nonnulli Angli Doctrinas quasdam in eo libro contentas, tum ut hæreticas, tum ut partibus Regiis adversas criminati sunt, quæ imputationes id effecerunt, ut domo Regiâ prohibitus fuerit, quo facto, quia protectione Regis destituebatur & metuebat, ne à Clero Romano, quem prcipué læserat, malè tractaretur, in Angliam rediit. Rege Angliæ tamen restituto, (quem Pari-

Parisiis Matheſin docuerat,) apud hunc maximâ ſemper floruit gratiâ, annuo etiam honorario ornatus fuit.

§. 35. Ponit autem Hobbeſius fundamenti loco officia Juris naturalis deducendi, *quod ſtatus hominum naturalis*, (i. e. quamdiu non in civitates coiverunt) *Sit ſtatus belli omnium contra omnes*, (i. e. quod quilibet homo & facultatem habeat & voluntatem alteri nocendi.) Sic *C. 9. §. 3. de Cive Hoſtis eſt*, inquit, *quisque cuique, cui neque paret, neque imperat.* Item *C. 13. §. 7. Status Civitatum inter ſe naturalis, id eſt, hoſtilis eſt. Neque ſi pugnare ceſſent, idcirco pax dicenda eſt, ſed reſpiratio, in qua hoſtis alter alterius motum vultumque obſervans, ſecuritatem ſuam non ex pactis, ſed ex viribus & conſiliis adverſarii æſtimat.* Sequitur exinde juxta ipſius hypotheſin, quod fundamentum juris naturæ ſit, *Jus omnium in omnes. Natura* ſunt ipſius verba *ex C. 1. §. 7 ſeqq. de Cive dedit unicuique jus in omnia, h. e. in ſtatu meri naturali & antequam homines ullis pactis ſeſe invicem obſtrinxerant, unicuique licuit facere, quæcunq; & in quoscunq; libebat, & poſſidere, uti frui omnibus, quæ volebat & poterat. Ex quo etiam intelligitur, in ſtatu naturæ menſuram juris eſſe utilitatem.* Quia verò ejusmodi ſtatus conſervandis hominibus minimè eſt idoneus, ideò concludit, rationem homines juſſiſſe, ut ex eo ſtatu in pacem concederent, at verò, quia cum hac pace jus omnium in omnes conſiſtere nequit, itidem rationem homines juſſiſſe addit, ut partem quandam iſtius remittant. Et exinde validitatem pactorum demonſtrat. Facilè tamen ſimul ex inde perſpicitur, per pacta juxta ipſius hypotheſin non dari alteri jus novum, quod prius non habuerit, (omnia enim huic licebant,) ſed tantummodò alterum jure ſuo ſe abdicare, quod alteri, jus ſuum (ſcilicet omnium in omnia) exercere volenti, reſiſtere nolit, (quod alias itidem ex jure omnium in omnia poterat) *V. Hobbeſ. de Cive C. 2. §. 3. ſeqq. Pufend. de J. N. & G. l. 3. C. 5. §. 2.*

§. 36. Non inquiram in præſenti in has Hobbeſii hypotheſes, neque etiam easdem refutare intendam, hoc enim à ſcopo meo, qui ſolum hiſtoricè omnia proponere mihi propoſui, protinus abludit; Interim hoc ſaltem notari volo, valdè eſſe veroſimile, quod inteſtina illa inter Regem Angliæ & Parlamentum tam Anglicanum & Scoticum diſſidia, illi ad fovendam hanc hypotheſin maximam occaſionem ſuppeditaverint. Qui enim tunc temporis plus poteſtatis habebat, ille indiſtinctè alterum invadebat, ſine reſpectu Regiæ poteſtatis & alterius

cujus-

cujusvis nexus. Et verò, uti §. 34. dictum, Hobbesius hæc scribebat sub initium illarum turbarum.

§. 37. Jam de Oppugnatoribus & Defensoribus Hobbesii aliqua subjungenda Generaliter dicit *Autor Vitæ Hobbesii antescit. Academici & Ecclesiastici doctrinam ejus condemnabant ferè omnes: laudabant Nobiles & Viri docti ex Laicis. Stetit ergò quasi in æqui librio inter amicos & inimicos, atque fortunâ tenui, famâ doctrinæ ingenti in patroni sui, Comitis Devoniæ hospitio delituit, studiô vacans Geometriæ & Philosophiæ naturalis.* Unde autem tale Academicorum & Clericorum odium in se concitaverit, alius quidam Autor factâ comparatione inter Grotium & Hobbesium ita exponit: *Grotius videns Theologiam & Philosophiam Scholasticam in Europa maximam habere autoritatem, dolô bonô, ut JCti loqui solent, utebatur, quô Medici etiam in Curatione ægroti corrupti utuntur. Scilicet laudabat Scholasticos, theses eorum absurdas non impugnabat, imò præ se ferebat, ac si hypotheses scholasticas cum fundamento suo Socialitatis conciliare vellet. (v. suprà §. 27.) Contrà Hobbes Theologiam Scholasticam sub nomine Regni tenebrarum oppugnabat & quia jus naturæ ex corrupto nimis statu & natura deducere nitebatur, occasionem præbebat Theologis, ipsius asseclas supprimendi. Vulnus tamen lethale inflixit Theologiæ scholasticæ.*

§. 38. Contrà Hobbesium, quantum ad principia juris naturæ attinet, scripserunt sequentes:

Joh. Bramhallus, S. T. D. Episcopus Derrienſis, edidit *6o. Objectiones* contra librum de Cive, quas Hobbio (nam & ita vocatur) transmisit, quæ tamen non sunt editæ.

Robertus Felmer scripsit *Observationes de Originе Dominii* contra Hobbium, Miltonum, Grotium, A. 1653.

Rob. Scharrock de Officiis secundùm jus naturæ.

Gisbertus Cocquius edidit *Vindicias pro Lege & Imperio.* item: *Hobbesianismi Anatomen*, item: *Vindicias pro Religione in regno Dei naturali* contra Hobbesium de Cive.

Rich. Cumberland. Disquisitionem Theologicam de LL. Naturæ.

J. Schafio Tractatum, cui titulus: *Magna naturæ Lex sui ipsius conservandi* examinata, asserta & vindicata contra abusus illi suppositos à T. Hobbes.

Sam. Strimesius Praxiologiam apodicticam, s. Philosophiam moralem demonstrativam, Pythanologiæ Hobbesianæ oppositam.

Franc.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [40] - 24

Franc. Julius Chopius Philoſophiam juris veram de poteſtate & obligatione.

Alii, qui in ſcriptis ſuis Hobbio contradixerunt, non tamen ex profeſſo contra illum ſcripſerunt, ſunt plurimi, inter quos etiam *Sam. Rachelius in libro de Jure Naturæ & Gentium, à p. 102. ad 117. it. à p. 306. ad 311. Joh. Eiſenhart in Repræſentatione Inſtitutionum juris naturalis*, (qui quantus-quantus Ariſtotelicus eſt.) *Oſiander in typo legis Naturæ: Sam. Parkerus* in libro: *Diſputationes de Deo & providentia divina*, paſſim. It. *Sam. Pufendorff* in libris *de Jure Nat. & Gent.* paſſim, qui tamen *in præfat. Element. Jurisprud. univerſ.* tale judicium de ſcriptis Hobbeſianis tulit: *Nec parum* inquit, *debere nos profitemur Thomæ Hobbes, cujus hypotheſis in libro de Cive & ſi quid profani ſapiat, tamen cætera ſatis arguta & ſana.*

§. 39. Principia Hobbeſii ipſo vivente inter alios *Daniel Scargil*, Artium Baccalaureus & Collegii Corporis Chriſti in Academia Cantabrigienſi Socius, Vir fervidi & præcocis ingenii defendit, Theſibus quibusdam publicè propoſitis, inter quas hæ duæ præcipuè ad jus naturale pertinentes:

Jus Dominii fundatur in potentia,

Juſtitia moralis pendet à civilibus inſtitutis.

Sed Theologi (ſunt verba Autoris, qui vitam Hobbeſii conſignavit) qui in Academiis ſemper regnant, quique in rem ſuam aut commoda peccantibus haud facile ignoſcunt, illum pro Senatu Academico, qui etiam ex ipſis præcipuè conflatur, graviſſimorum criminum reum poſtularunt. Ergò incluſus eſt carceri, gradu privatus, ſodalitate exutus, Academia expulſus, prius tamen ſumma cum ignominia & dedecore coactus eſt pro concione in templo publico Theſes ſuas tanquam ſibi à Plutone ſubmiſſas ad Stygem damnare, easque ergà ſummum Numen impias, omnique humanæ ſocietati perniciosiſſimas pronunciare.

§. 40. Licet etiam *Antonius à Wood in Hiſtoria & Antiquitatibus Academiæ Oxonienſis* multa egregia de eo ſcripſiſſet, Decanus tamen Ædis Chriſti, Johannes Fell, propriâ autoritate hæc delevit, ſubſtitutis aliis in vituperium Autoris tendentibus, contra quem ſcripſit Hobbius Epiſtolam Apologeticam An. 1674. Decanus contrâ in fine dictæ Hiſtoriæ adjecit Epiſtolam, in qua Hobbium inter alia vocat *irritabile illud & vaniſſimum Malmesburienſe animal, furioſum hominem, &c.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [41] - 25

§. 41. Pro Hobbesio in Belgio calamum strinxit Anonymus quidam, qui *Dissertationem Epistolicam de principiis Justi & Decori* & in eadem Apologiam pro Hobbesii tractatu de Cive exhibuit. Postquam deinde Opera *Lamberti Velthuysen*, Medici, prodierunt, hunc ipsius Autorem esse cernere licuit. Extat enim in illis operibus Tom. 2. p. 955. Secutus etiam est principia Hobbesii *Benedictus Spinoza*, cujus hypotheses refert & examinat *Pufend. de I. N. & G. l. 2. C. 2. §. 3.* ubi Spinozam adhuc crassius Hobbesiô philosophari censet.

§. 42. Ex Germanis Hobbesio favet *Joh. Christoph. Becmannus in Meditationibus Politicis*, ubi *Dissert. 1. §. 2.* postquam de Libris dogmaticis in scientia politica egerat, ita concludit: *Felicissimè omnium in hisce talibus videntur versati esse incomparabiles, Viri H. Grotius, libris de I. B. & P. Th. Hobbesius libris de Homine, Cive, &c. & Pufendorffius.* Item in *Parall. Polit. Diss. 1. §. 5.* eum ab Atheismo defendit & saltem Neutralismi incusat. Principia ejus in moralibus laudat, & taxat solum, quod sacra ad conceptus suos trahat, cum hos ad sacra pertrahere indeque perficere debuisset. Unde ita concludit: *Hobbesius principia vitæ socialis vere explicat, sed malè applicat;* subjicit quoque judicium *Auctoris cujusdam Gallici in Itin. Anglic. Edit. Germ. p. 411. 412.* Es werden sehr wenig gefunden / welche die Sachen genauer durchsehen/ denn er / und die der natürlichen Wissenschafft eine so lange Erfahrung beygebracht hätten; Ja er ist ein Uberbliebenes von dem Bacon, unter welchem er in seiner Jugend geschrieben/ und an allem/ was ich von ihm gehöret/ und was ich in seiner Art zu schreiben mercke / sehe ich wol / daß er viel davon behalten. Er hat durch das studiren seine Weise die Dinge zu wenden/ und greiffet gerne in die Gleichnüsse; Aber er hat natürlich viel von seiner guten und schönen Eigenschafft / ja auch von seiner feinen Leibesgestalt. Er hat der Priesterschafft seines Landes / den Mathematisten zu Oxford und ihren Anhängern eine Furcht eingejaget/ **darum Ihro Majestät ihn einem Bären verglichen/ wider welche er die Doggen/ um sie zu üben/ anreitzet.** Sonder Zweiffel hat er die gekrönten Häupter in den Gründen seiner Weltklugheit höchlich verbunden / und wann er die Lehren der Religionen nicht berühret/ oder sich begnüget hätte / die Preßbyterianer und gesandte Bischöffe seines Landes anzugreiffen / finde ich nichts darin zu tadeln. Denique quendam, *Henricum Bredelo*, Hobbesii defensionem promisisse, video ex *Dn. Beyeri Notit. Aut. p. 25.* Hæc de Hobbesio, qui A. 1679. Anno ætatis suæ 91. obiit. §. 43.

§. 43. Inclaruit præterea etiam temporibus Hugonis Grotii *Johannes Seldenus*, Anglus, editis *de jure naturæ & Gentium juxta Disciplinam Hebræorum* libris septem, quos in *Synopsin* contraxit Vir celeberrimus, *Joh. Franc. Buddeus*, Prof. Hallensis, An. 1695. hancque suam Synopsin novæ Editioni quæstionum Grotianarum Vitriarii, una cum *Historia juris naturalis*, brevi quidem, sed erudita tamen, subjungi curavit. Scripsit autem Seldenus opus suum, judice *Bæclero in Præfat. Comm. Grot.* Eruditâ & modestâ æmulatione Grotiani operis, eique civiliorem dedit Titulum quam Grotius fœtui suo; Intellexit Grotius artem & haud dubie exprobrari sibi insolentiam Tituli existimans, lepida urbanitate ultus est virum, quando Seldeni *mare clausum* (seu de Imperio & Dominio maris, quod pro Anglis contra Batavos scripserat) parum latinè inscriptum, noluit barbaro vocabulo cum ipso Autore appellare, sed meliore & erudito Viro dignâ voce, *Thalassorvaticum*, laudavit in *Annot. ad I. B. & P. l. 2. C. 2. §. 2.*

§. 44. Conspectum totius operis exhibet præfatio præmissa. Illustranda autem sibi sumsit Seldenus septem illa præcepta, quæ ex traditionibus Rabbinorum Noachidis præscripta fuerunt, videlicet *de Cultu extraneo, de maledictione Numinis Sanctissimi, de effusione sanguinis, de Revelatione turpitudinum, de furto ac rapina, de judiciis & de membro animalis viventis.* Neque ergò mirandum est, quod nullos Oppugnatores, Commentatores, Annotatores, aut Observatores nactus fuerit; Non enim irritabat crabrones scholasticos in suo tenebrarum regno eos refutandô & ineptias ipsorum detegendô, sed ferè historicè solùm rem pertractabat. Addendum tamen & hoc est, Seldenum non tàm jus naturæ, quàm potiùs jus positivum sibi tractandum sumsisse, quia Rabbini se in speciali Dei revelatione quoad adducta præcepta fundant. Et inde factum, quod tractatum suum non simpliciter *de Jure Naturæ & Gentium* sed cum hoc additamento: *juxta Disciplinam Hebræorum*, inscripserit. Placent valdè, quæ in hanc rem disserit *Dn. D. Pauli, de ver. jur. & jurispr. princ. P. 2. qv. 12. in f.* Dum Seldenus, inquit, multô labore jus Naturæ & Gentium *juxta Disciplinam Hebræorum* tradidit, viam aliis monstravit, commentandi in jus N. & G. *juxta Disciplinam Persarum, Græcorum, Romanorum, Germanorum &c.* Quinimò *illustrissimum Baronem Boineburgium* excitavit, ut Rachelium literis sollicitârit, ad scribendum de J. N. & G.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [43] - 27

juxta Disciplinam Christianorum, v. Rachelii Dissert. de J. N. & G. n. 101. De jure autem naturali Christianorum hodierno, addit, fortè eleganter scripserunt Hobbesius ejusque Contribules & Discipuli, quorum principia magis in usu sunt, quàm Seldeni Rabbinica & Talmudica.

§. 45. Ergò quod Grotius è fermento scholastico adhuc reliquum habebat, *v. suprà §. 27.* successu temporis Perillustris Vir, *Samuel* (demùm liber Baro) *de Pufendorff* repurgare masculè aggressus est. Primas lineas designavit in *Elementis Jurisprudentiæ universalis*, quæ, quantum mihi constat, A. 1660. Hagæ primùm prodierunt & Carolo Ludovico, Comiti Palatino ad Rhenum, Electori inscripta sunt, ubi in præfatione non diffitetur Autor, quod Erhardus Weigelius, Celeberrimus quondam ille Mathematum Professor Jenensis, eum ad hunc laborem suscipiendum hortatus fuerit, imò etiam in nonnullis faciem ipsi utilissimè prætulerit. Quàm clementer autem illa Dedicatio à Sapientissimo Electore accepta fuerit, testantur literæ sequentes ad Pufendorffium exaratæ, quas hîc inseruisse non ingratum fore puto B. L.

Carolus Ludovicus, Dei gratiâ, Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archi-Thesaurarius & Elector, Dux Bavariæ, &c.

Doctissime Vir, singulariter Nobis dilecte.

Accepimus una cum literis tuis librum nuper à Te editum Nobisque inscriptum. Grata Nobis non minus est ejus dedicatio, quàm jucunda erit lectio, utpote ab argumento commendabilis, & qui Autoris eruditionem publicè manifestam facit. Gratitudinem Nostram eô nomine tibi testari non intermittemus, & ut singulari omnes favore prosequimur, qui bonis literis promovendis operam suam impendunt: ita & te eôdem Nos complecti, tuaque ergà rem literariam merita in pretio habere, planè te persuasum esse cupimus. Heidelbergæ d. 29. Septembr. 1660.

Amicus tuus benevolus
CAROLUS LUDOVICUS.

Doctissimo Viro, singulariter Nobis dilecto, Samueli Pufendorff.

Effectus hujus Clementiæ mox experiebatur Pufendorffius. Anno enim sequenti 1661. ad professionem juris Naturæ & Gentium in Germania primus omnium Heidelbergæ admovebatur. Hanc ergò occasionem nactus,

nactus, poliendæ & magis adhuc perficiendæ nobilissimæ disciplinæ sedulò incubuit, eòque rem perduxit, ut postquam A. 1670. Londini Scanorum in nova Academia Regia Professor constitutus fuerat, biennio post, Annô scilicet 1672. absolutissimum illud *de jure Naturæ & Gentium* opus in orbem eruditum emitteret, quod posteà in libris *de Officio Hominis & Civis* concinnâ brevitate contraxit & in nucleo quasi proposuit.

§. 46. Putares, neminem fuisse, qui non pro tàm utilissimo labore debitas illustri Autori gratias persolvisset; verùm res longè alium eventum consecuta est. Ubi enim non modò in Pontificiorum, sed & in Protestantium Academiis Philosophia Scholastica adhuc imperium exercebat, & quicquid Grotius emendare tentaverat, Commentatorum multitudine & ex parte barbarie scholasticâ iterum obrutum & deperditum erat; undiquaque contra sana hæc principia maximus clamor & nescio quæ calumniæ ac machinationes exoriebantur. *Velthemius in Oratione de laudibus scholasticorum contra Pufendorffium*, (uti hic eum allegat in *Specim. Controv. C. S. §. 5.*) Theologos suos Jenenses sequentem in modum alloquebatur & conjurabat: *Vos venerandi mei Præceptores Theologi, Vos, inquam, rogo, Vos Obtestor, eloquamini, per Deum eloquamini, an Moralistarum Princeps Thomas, Methaphysicorum Papa Suarez, Molina, Vasquez, Valentia, Conimbricenses, Sanckiez & B. Stahlius noster, Scriptores æternitate dignissimi, nugas duntaxat venditaverint?* id est, ut dicere volebat, non venditârunt sanctissimi illi Patres nugas, sed veram sapientiam professi sunt, & adeò profanus ille Pufendorffius non quartum solùm sed omnia Dei præcepta lædit, qui de doctrinis tantorum Monachorum dubitare non solùm, sed & planè easdem, modô inter Christianos scholasticos hactenus inauditô, refutare sibi præsumit. An non hæc res tanti momenti, ut propterea cœlum & mare moveri deberet?

§. 47. Generaliter, quæ facta Pufendorffiana fuerint, exponit *Exc. Dn. Thomasius in Programm. suprà §. 27.* allegatô. Als der Herr von Pufendorff, inquit, die Mängel des Grotii auszubessern und die treffliche Disciplin in ihren Rechten gantz zu versetzen sich angelegen seyn lassen / und Er anfänglich sein Vorhaben methodô mathematicâ in seinen Elementis überhaupt entwurffe / und darinnen die gemeinen Irthümer nicht offenbahr

wiederlegte / ließ mann dieſes ſein Buch nicht alleine unangetaſtet / ſondern man lobte es auch / als ein Werck eines ungemeinen ingenii, auſſer daß ſich ein damahls berühmter Commentator Grotii verlauten ließe / es mangelte ihm noch / daß er die alten Philoſophos nicht wohl ſtudiret und geleſen hätte. Nachdem er aber dieſe ſeine Lehre in dem gröſſeren Werck de jure naturæ & Gentium nur in eine andere Form gegoſſen / und mit den daſelbſt häuffig angeführten Exempeln und Zeugniſſen aus denen alten Griechiſchen und Lateiniſchen Scribenten dieſelbe theils ausgezieret / theils das jetztermeldete wiedrige judicium realiter refutiret / hiernechſt aber nur gewieſen / daß er ein wenig weiter von denen Scholaſticis abgehe / als Grotius, und die perſeitatem turpitudinis & honeſtatis actuum jure naturæ prohibitorum & præceptorum, ingleichen die von denen Scholaſticis zum Grunde des Rechts der Natur geſetzte convenientiam cum ſanctitate divina antecedenter ad voluntatem divinam widerleget. Was hat man nicht auf vielen Univerſitäten für Streit wider ihn angefangen? Wie hat man nicht dieſe ſeine wohlgegründete Lehre als Atheiſtiſch / Ketzeriſch / u. ſ. w. ausgeſchrien / und biß in die 14. Jahr ihm das Leben mit Zanck- und Schimpffsvollen Streit-Schrifften ſauer zu machen ſich bemühet / biß endlich doch die Warheit ſeiner Lehr-Sätze die Ober-Hand behalten / und ſeine Widerſacher / nachdem ſie keinen Vorrath ihm ferner zu attaquiren gefunden / theils ſtille zu ſchweigen / theils durch Mittels-Perſonen Friede mit ihm zu machen gezwungen worden.

§. 48. Res fiet clarior, ſi quæ contra illum & pro eodem ſcripta publicata fuerint, ſpecialiter jam ſubnectamus. Primum Adverſarium nactus eſt *Joſuam Schvvartzium*, ni fallor, Theologiæ Profeſſorem Londinenſem & ſic Collegam, qui *A. 1673. in Indice Novitatum quarundam, quas Dn. Samuel Pufendorff libro ſuo de jure Naturæ & Gentium contra orthodoxa fundamenta Londini edidit*, ſuppreſſô tamen nomine publicatô, Pufendorffium tanquam hominem peſſimum depinxit, eumque Gentiliſſimi, Zwinglianiſmi, Socinianiſmi, Papiſmi, Pelagianiſmi, Hobbeſianiſmi, Carteſianiſmi, & neſcio cujus adhuc gravioris hæreſeos, incuſavit.

§. 49. Amovebat has imputationes Pufendorffius in *Apologia pro ſe & ſuo libro adverſus Autorem libelli famoſi cui titulus: index Novitatum &c.* quæ annô ſequenti 1674. prodibat, & in qua §. 6. Autorem indicis vocat. *Nigrum calumniatorem, nigræ ſcholæ primipilum, nigri Magiſtri nigrum diſcipulum,*

nigræ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [46] - 30

nigræ ſchulæ tyronem nigrum Aſinium tenebrionem &c. ſeqq. Tradit quoque §. 38. totam hiſtoriam, quomodo Theologi Lundinenſes poſt editum de Jure Naturæ & Gentium librum apud Regem & Senatores Regni maximas illi inſidias ſtruxerint. Quantum verò in ſpecie ad indicem Novitatum attinet, hæc ſubjicit: Scilicet Schwartzius poſtquam eundem privatim conſcripſerat, illum illuſtri cuidam vicinæ provinciæ præſidi exhibebat. Communicabatur autem Pufendorffio Index & cùm hic ſtricturas quasdam extemporaneas adjeciſſet, utrumque, id eſt Index & reſponſio ad eundem ad Regem transmittebatur. Rex videns falſas imputationes adverſariis Pufendorffii ſilentium imponebat. Et forte Schwartzius non cogitâſſet ampliùs de Indice typis exſcribendo; ſed Nicolaus Beckmannus, de quo mox dicetur, eum Schwartzio ſubducebat ac quibusdam in locis interpolatum edi curabat, quam in rem Pufendorff *d. §. 38. ſeqq.* Programma aliquod Schwartzii adducit, ubi hoc publicè faſſus eſt.

§. 50. Quoniam ergò Index ille contra prohibitionem Regiam editus erat, ideò etiam non aliter, quàm libellus famoſus conſiderabatur, juſſu Regis à Carnifice Londini flammis tradebatur, & *Nicolaus Beckmannus Profeſſor Juris Londinenſis*, Profeſſione exutus relegatione puniebatur. Malè hoc habebat hominem, & ſic vindictam meditabatur. Horrenda ſunt, quæ de ipſo ſcribit Pufendorffius *in præfat. ſpecim. Controv.* ſubornâſſe ſcilicet Becmannum affinem ſuum in nupera Dannorum in Scaniam irruptione, ut Pufendorffium cum Uxore & liberis trucidaret. Hanc quoque ſanguinem Pufendorffii ſitientem cum manipulo ſicariorum Londinum advolâſſe, & cum ibi Pufendorffium non inveniſſet, Malmogiâ captâ facinus ſeſe executurum intendiſſe, aſt tamen ſicarium hunc in Lundenſi prælio extinctum fuiſſe. Cum itaque res hoc modò non ſuccederet, variis virulentis ſcriptis famam Pufendorffii arrodere audebat, de quorum indole benevolus Lector facilè judicare poterit, ſi modò unius Titulum ſat longum hic appoſuero. Eſt autem Titulus Beckmanniani illius ſcripti ſequens: *Nicolai Beckmanni Legitima defenſio contrà Magiſtri Sam. Pufend. execrabiles fictitias calumnias, quibus illum contra omnem veritatem & juſtitiam ut carnatus Diabolus, & ſingularis mendaciorum artifex per fictitia ſua entia moralia (Diabolica puto) toti honeſto & erudito orbi malitioſè ac ignominiose exponere voluit. Naturalis ſive brutalG &*

is en-

Gentilis Pufendorffii Spiritus usque adeò enormiter se exserit & perversè operatur, ut nec Diabolum, nec infernum, nec vitam æternam dari impiè credat, & dum omnem actionem humanam statuat esse indifferentem, boni ac mali, nec præmium, nec pœnam futuram; hoc tamen pro satyrico suo ingenio firmiter credit, si viris honestis & proximo suo audacter & malitiosè calumnietur, quod semper aliquid fecis sive mendacii in animis legentium hæreat. Impressum A. 1677.

§. 51. Excipiebantur hæc scripta partim ab ipso Pufendorffio sub nomine *Petri Dunæi, p. t. in Academia Carolina Pedelli secundarii in Epistola ad Virum famosissimum, Nicolaum Beckmannum, totius Germaniæ Convitiatorem & Calumniatorem longè impudentissimum, super novissimis ipsius scriptis, Londini Scanorum A. 1678. partim verò à fictitio quodam Joh. Rolleto, Palatino,* (cui aliàs verum nomen *Klingeri* erat) *in discussione calumniarum, quas absurdissimas de illustri viro, S. Pufend. relegatus è Svetia Nic. Beckmannus per causam defendendæ famæ non ita pridem in vulgus sparsit.* Sed miser hîc Rolletus ob hanc Pufendorffii Devensionem Jenæ, ubi degebat, in carcerem conjiciebatur & rigorosam inquisitionem experiebatur, fortè ideò, quia in citata discussione sua etiam Velthemium ejusque Commentarium ad Grotium & Dissertationes contra Pufendorffium, (de quibus posteà) acriter sæpè notaverat. Cæterùm Beckmanni stultitia non meliùs quàm ex his ipsis illius scriptis agnosci potest, quippe in quibus Carmina gratulatoria in Academiis olim emendicata affert, & laudes proprias stylô & modô prorsus puerili ad nauseam recenset. Tandem quoque illi accidit, quod in proverbio dici solet, *Desperationem aut Monachum facere, aut Militem*, abdicatô enim Lutheranismô ad castra Papicolarum se contulit.

§. 52. Revertamur ad Josuam Schwartzium. Hic, ut in §. 49. dictum, omnem culpam publicati indicis Novitatum in solum Nic. Beckmannum rejecerat, adeòque tunc temporis pœnam evaserat. Quamvis etiam in Apologia præcipuè *(v. supra §. 49.)* aliisque scriptis à Pufendorffio subinde haud obscurè notaretur, tempori tamen inserviebat omniaque dissimulabat. Sed quid accidit? Cum in bello Danico Suecico Dani urbem Londinum occupâssent, Schwartzius civibus præcipuus Autor extitisse refertur, ut Regi Daniæ homagium, quod ab ipsis desiderabatur, sine cunctatione præstarent. Ergo dum pace inter Danos & Suevos postmodum initâ hi Londinum suum recipiebant

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [48] - 32

bant, Schwartius emigrare cogebatur, factus primùm Concionator Aulicus Regis Daniæ & demum Ducatus Sleſwicenſis Superintendens generalis & Conſiliarius Conſiſtorialis. Hanc occaſionem adeptus muſſitare amplius nolebat, ſed ſub nomine privigni ſui, *Severini Wildſchütz, Malmogienſis Scani, ſcriptum virulentum ſub titulo: Diſcuſſio calumniarum Sam. Pufendorffii Eride Scandica, indicis errorum ſuorum causâ Venerabili uni viro indigniſſimè impoſitarum*, in lucem edebat, quod ipſum Pufendorffius ſub nomine *Joſuæ Schvvartzii* in *Diſſertatione Epiſtolica ad eximium unum juvenem Severinum Wildſchyſſium, privignum ſuum* pro merito excipiebat. In Titulo etiam ſequentem Horatii Verſum allegaverat:

Eſt in Juvencis, eſt in equis Patrum virtus.

Prodiit etiam alia Satyra alterius cujusdam Autoris contra Schwartzium, quæ titulum præ ſe ferebat ſequentem: *Jurisconſulti Nicolai Reckmanni ad V. C. Severinum Wildſchütz, Malmogienſem Scanum Epiſtola, in qua ipſi cordicitus gratulatur de devicto & triumphato Pufendorffio Hamburgi 1688.* Stylus in hac ſatyra eſt admodum lepidus, ut ſine riſu eadem vix legi queat, ſcilicet talis, qui ſtylo obſcurorum virorum eſt ſimillimus. Depinguntur quoque in eadem omnes ſtudiorum ineptiæ quàm accuratiſſimè. Et tunc quievit Schvvartzius.

§. 53. Et cum omnes Pufendorffium pro periculoſo Novatore haberent, nemo ferè erat, qui non adverſus eundem calamum ſtringeret, aut ejus ſcripta quocunque modò ſupprimere allaboraret. Antiqua & pia fraus eſt, ut ſi Adverſarii de refutandis & convincendis, præſenſis Hæreticis & Novatoribus ob imbecillitatem ſuam deſperent, brachium ſeculare implorent, & ſic quod jure non poſſunt, vi majore exequi intendant. Idem expertus eſt Pufendorffius, prout in ſcriptis ſuis paſſim adducit & conqueritur. Schertzerus enim, ut idem refert Theologus Lipſienſis, Proceribus Aulæ Saxonicæ tunc temporis ſuadebat, ut Reſcriptum aliquod ad Univerſitatem Lipſienſem emanaret, in eoque liber Pufendorffii de Jure Naturæ & Gentium libris prohibitis annumeraretur. En verba Reſcripti, quod impetrabat:

V. G. G. Johann Georg der andere / H. Z. S. E.
Würdige / Hochgelahrte / Andächtige und Liebe Getreue. Uns hat die Theologiſche Facultät auf unſerer Univerſität zu Leipzig unlängſt einen ſo genandten Indicem Novitatum, welchen ein Anonymus aus Samuel

Pufendorffs Tractat de jure N. & G. extrahiret / unterthänigst eingeschicket / darinnen allerhand neuerliche Dinge die contra orthodoxiam & receptam doctrinam publicam lauffen und der studirenden Jugend Aergerniß geben / enthalten seyn sollen. Wann wir denn solchem gerne prævaviren möchten / als begehren Wir hiemit gnädigst / Ihr wollet denen 3. Facultäten bey euch / der Theologischen / Juristischen und Philosophischen / daß Sie nach Anleitung jedes seiner Profession in ihren Lectionibus bey Gelegenheit die studirende Jugend von dergleichen neuerlichen und zu böser Consequentz dienlichen Opinionen alles Fleißes abmahnen sollen / gebührend andeuten. Daran geschicht Unsere Meynung. Datum Dreßden den 16. Jun. A. 1673.

§. 54. Quid ad hæc Pufendorffius? Edebat *Epistolam ad Plur. Rev. atque celeberr. Virum, Dn. D. Joh. Ad. Schertzerum, Theologum apud Lipsienses primarium super censura quapiam in librum suum iniquè lata, impressam Hardervici 1674.* & in eadem Schertzerum inter alia his verbis provocabat: Cum ergò Tu Rescripto Dresdensi solus aut præcipuè causam dedisse videaris, quô graviſſimam mihi injuriam illatam protestor; tuum nunc erit, Vir celeberrime, ejus Rescripti æquitatem publicè asserere & quod causâ priùs ritè cognitâ & disceptatâ sit conceptum: simulque liquidò ostendere, ubinam horrendi illi errores contra orthodoxam Theologiam in libro meo deliteſcant. Tum, quænam sit illa doctrina recepta publica, abs qua qui discesserit, etiam sub alieno regno vivens, tàm asperam notam mereatur; quâ autoritate ejusdem *αὐθεντία* sit stabilita & quæ obligatio quicquid est Eruditorum stringat, ut quæ Lipsiæ sit recepta doctrina philosophica, ei necessariò inhærere debeant; denique quô annô, menſe ac die sapientia ad eam perfectionem Lipsiæ pervenerit, ut quo progrediatur, amplius non habeat. Præcipuè etiam scire desiderabat Pufendorffius an Facultas Theologica Lipsiensis librum suum cum Indice Novitatum accuratè contulisset & ritè perpensis omnibus liquido deprehendisset, Pufendorffium omnes & singulos errores Indice notatos tradere; nec minus, omnia & singula ibi notata erronea esse.

§. 55. Satis commodam occasionem ita nactus erat Schertzerus heterodoxa Pufendorffii dogmata ex scriptis illius eruendi ac quid portenti in iisdem lateret, erudito orbi communicandi; sed ne verbulum qui-

quidem publicè reposuit. Quomodo ergò procedebat? R. Audiamus ipsum Pufendorffium eventum hujus rei in *Præfat. Specim. Controv.* ita recensentem: *Cum prævideret Schertzerus*, inquit, *Sophisticationes suas, quibus recentes Magistros tantoperè exercuit, in hac pugna parum roboris habituras, à splendidissimo Collegio*, (Consilio scilicet intimo) (*quod ut in librum meum abs se non lectum tam immitem censuram ferret, induxerat,*) *literas impetravit, ne publicè super injuria mihi facta rationem redderet.* Quiescente ergò Schertzero jam ad alios Pufendorffii Antagonistas pergendum.

§. 56. Inter illos erat *Fridericus Gesenius*, Superintendens Garlebiensis, qui sequenti occasione calamum contra Pufendorffium stringere adducebatur. D. Balthasar Mentzerus A. 1670. Epistolam Germanicam de Divortio & Polygamia ad Virum aliquem præclarum Holmiæ conscripserat, eamque ipsò inscio turbitus quidam sacerdos (ut loquitur *Pufendorff. in Apol.* §.2.) impressam divulgaverat. Hanc non multò post *Johannes Lyserus* sub nomine *Sinceri* Wahrenbergs in dem kurtzen Gespräch von der *Polygamie* impetebat, atque non modò Polygamiam licitam, sed & Præceptam esse fusè demonstrare conabatur. Quia ergò verum nomen suppresserat, quilibet de Autore sollicitus erat, & cum Pufendorffius in libro de Jure Naturæ & Gentium Polygamiæ prohibitionem ex Jure Naturæ vix demonstrari posse asseruisset, non pauci eundem sub Wahrenbergio delitescere credebant. Ipse Pufendorffius *in Apol.* §.2 dicit, Virum quendam non obscuræ alias famæ & non infimi subsellii per non pauca Germaniæ loca disseminasse, quod *P*ufendorffius dicti Dialogi Autor sit, quod tamen negabat *P*ufendorffius.

§. 57. Sunt nonnulli ex Clericorum (falsò tamen hoc nomen affectantium) numero, qui non melius officiosus se satisfacere & gloriam divinam promovere posse autumant, quam si rebus ad eos planè non pertinentibus sese inmisceant, & relicta animarum curâ heterodoxiæ aut Novatoris maculam alteri cuidam inurere allaborent. Horum classi etiam accensendus est nominatus ille *Gesenius*. Hic enim gloria inclarescendi æstuans sub nomine *Christiani Vigilis, Germani, Epistolam seu Dissertationem super Polygamia simultanea ad Sincerum Wahrenbergium, Suecum, Germanopoli A. 1673.* edebat, in eaque non obscurè indicabat, quod sum Wahrenbergii nomine *P*ufendorffium latere persuasus esset. Adducamus aliquot verba ex ipsa Vigilis Epistola: *Minor*, inquit, *Propositio*, (quæ

hæc erat: Ubicunque uni uxori altera superinducitur, una uxor suum ἴδιον ἄνδρα & proprium virum non habet,) *apud Te, eruditissime Wahrenbergi omninò in concessis poni debet, utpote quem pro lege firmissimæ amicitiæ idem velle adhuc & idem nolle cum celebratissimo illo & jurium quorumcunque consultissimo Dn. Sam. Pufendorffio, hodiè apud Vos in Illustri, quæ Londini Scanorum est, Academia Professore, quique olim alter ego tibi esse solebat, & quod bellum caput non minus ac proprium tuum charum habebas & adamatum. Sic enim is scribit, quando in Elementis suis Jurisprudentiæ universalis lib. 1. Def 5. §. 4. quid proprium sit, explicare instituit: Quæ res tanquam propriæ ad nos pertinent, iis pro arbitrio nostro frui & quosvis alios indè arcere possumus. Et lege quæso, mi Excellentissime Wahrenbergi, illa, quæ à Tuo olim Pufendorffio plura inibi sequuntur &c.*

§. 58. Respondebat Gesenio Pufendorffius in *Apologia*, & præcipuè §. 3. negabat, se sub Wahrenbergio latere, adeoque per consequens Vigilem illum gravis mendacii arguebat. Quæ cum concoquere stomachus Vigilis nesciret, sequebatur *Dn. S. Pufendorffii Juris naturalis D. & Prof. contra jus naturæ iniquitas inque ejus scrutinio infelicitas, in cautionem pro incautis & vindicationem nominis publicè ostensa per V. D. M. qui se contra Sincerum Wahrenbergium Christianum Vigilem nominare & adversus ἀβέβε illius de Polygamia assertiones pro munere sibi in Ecclesia Dei credito debitè voluit vigilare. Germanopoli 1674.* ubi iniquitatem Pufendorffii contra jus naturæ admissam in eo consistere dicebat, quod Pufendorffius Vigilem mendacii & calumniarum arguisset, & ipse tamen mendax & calumniator sit. Deinde etiam de principio juris naturæ, actionum indifferentia, &c. contra Pufendorffium nonnulla admiscebat.

§. 59. Regerebat ad hæc quædam Pufendorffius *in Epistola ad Schertzerum emissa*, de qua supra §. 54. diximus. Gesenius autem non acquiescebat, sed promulgabat *Christiani Vigilis V. D. M. Christianam benedictionem ad impiam & immanem maledicentiam Dn. Sam. Pufendorffii, I. N. D. & Prof. quam ille in Epistola ad Celeberr. Virum, Dn. Joh. Ad. Schertzerum Theologum apud Lipsienses primarium effutivit. Germanopoli 1675.* Hanc benedictionem suam inter alia his etiam verbis finiebat: *Animus tibi fuit ex ratione nihil, ex cavillis & convitiis omnia agere, ut, quod tu alieno nomine Viri honestissimi tam contumeliosè lusisti de gryllo campestri, in te possibile ostenderes, & inauditô hactenus exemplo doceres, quam, qui homo esse debebat Dn. Sam. Pufendorffius, tetricam & inficetam Scarabæi naturam sortitus fuerit, quin tantus literarum heros olim,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [52] - 36

olim, nunc purus putus scarabarus factus sit, qui in pomis volvendis unicè occuparetur. Vor einen solchen Christlichen und Priesterlichen Segen / behüt uns lieber HErr GOtt. Et si hæc benedictio fuit, quid futurum fuisset, si maledicere incepisset ille Vigilis? Et propterea forsan conticuit quoq; Pufendorffius ne Christianam illam maledictionem experiretur. Neque enim reperire potui, quod Gesenio amplius responderit, nisi quod in *Specimine Controversiarum* aliquas ejus objectiones amolitus fuerit. Cæterum Vigilem *Discursum* quoque inter *Polygamum & Monogamum* edidisse, nec non *Museum* An. 1675. de hac materia disputasse, & tandem Lyserum in Suecia ob defensionem Polygamiæ infames pœnas, fustigationem opinor, sustinuisse, deprehendi ex *Notis Illustr. Dn. Strykii ad Brunnem. Jus Eccles. l. 2. C. 16. §. 1. ad verb. Polygamia simultanea.*

§. 60. Inter alios veteris absurditatis accerrimos defensores etiam *Valentinus Veltheim*, Professor Jenensis, haut postremus erat, de quo jam suprà §. 46. quædam adduximus. Hic ut novitates Pufendorffianas pro viribus (exiguis licet) reprimeret, An. 1674. & 75. *Dissertationes duas de Quæstione: Num actus dentur per se honesti aut turpes, quique adeo in suæ naturæ sint debiti vel illiciti,* conscribebat, nec non *in Introductione in opus Grotianum* subinde Pufendorffium refutare nitebatur. Sed excipiebat has ejus objectiones Pufendorffius partim in Epistola ad Schertzerum emissa, (v. §. 54.) partim in Specimine Controversiarum, de quo paulo post dicemus. Tuebatur quoque partes Pufendorffii adversus hunc oppugnatorem *Johannes Rolletus*, qui tamen propterea pessima fata, §. 51. recensita, Jenæ experiebatur.

§. 61. Prodibant circa idem tempus alii adversarii. Nondum enim numerus completus videbatur. Inde ortum suum ducebant *Sam. Strimesii Prof. Phil. in Univ. Francof. Origines morales s. Dissertationes aliquot selectiores vera moralium fundamenta complexæ. 1679.* Item *De origine, veritate & immutabili rectitudine juris naturalis secundùm Disciplinam Christianorum ad Gentilium tamen captum instituta Disquisitio in Acad. Argent. à Joh. Joach. Zentgravio, Phil. Pract. Prof. 1678.* Uterque pro veteri doctrina pugnabat, & præcipuè propositionem fundamentalem Pufendorffianam subvertere nitebatur. Utrique tamen respondit *Pufendorffius in Specimine controversiarum.* Vide, quantum Strimesium attinet, *infra §. 65.* Postquam hæc jam scripseram, incidi in alium Tractatum dicti *Dn. Zentgravii, jam*

S. Th. D. de Summa juris divini, ſeu, ut aliter eum quoqe vocat, *Iſagogicam inſtitutionem Doctrinæ de Juſtitia & Jure, ubi quidem Sect. 1. Art. 1. ſubſect. 1. §. 15.* traditionem ſcholaſticam de *Lege Dei æterna* adhuc defendere allaborat, nihilominus tamen §. 11. pro ratione juris Naturæ fundamentali univerſali Socialitatem ponit. Id ſaltem obſervandum, eum *d. l.* diſtinguere inter *ſocialitatem generalem & ſpecialem.* Priorem vocat, quæ hominibus cum Deo, poſteriorem quæ cum aliis hominibus intercedit, & ex illa *officia erga Deum*, ex hac autem ea, *quæ ergà alios homines exercenda*, deducit. Deinde alia etiam principia cum hoc ſocialitatis principio conjungi cupit, de quo mentem ſuam exponit §. 19. Quemadmodum in eruendis originibus juris naturalis, ſine oppoſitione conjunctim ſpectari debere cenſemus *Naturam humanam*, quà rationalis ſcilicet eſt & ſocialis, *quidque hominem deceat* ex naturæ ſuæ conditione, rationalem & ſocialem ut vivat vitam *divinam* item *ſapientiam*, cognoſcentem ex infinitudine perfectionis ſuæ, cùm, quæ qualesque actiones hominis naturæ reſpondeant, ne agendo à ſe ipſo difformis reddatur tàm nobilis Creatura, tùm, quomodo Deum, ſupremum creaturarum rationalium Rectorem, hunc ſuum ſubditum ad rationale & ſociale vitæ genus obligare deceat: *divinam* præterea *voluntatem*, quæ cùm ſecundùm divinæ omniſcientiæ & ſapientiæ, tùm ſecundùm bonitatis, ſanctitatis & juſtitiæ divinæ dictamina & normam, agendi regulam, per naturam inſitam, humano generi præſcribere decernit; *divinum* denique *imperium*, obligans efficaciſſimè homines ad exequendas Leges naturæ illorum inſcriptas, & per naturam præſcriptas, quibus *rationem & conſcientiam* ſubordinamus, in qua divinæ iſtæ Leges à nobis cognoſcuntur: ita in fundamento LL. naturalium explicando, & in ratione illarum danda, conjunctim quoque cauſas iſtas ſpectari, nec ſibi invicem opponi, certè ſubordinari alteram alteri debere, judicamus. Unde non ſequitur: Socialitas eſt fundamentum juris naturalis, eô nimirum ſenſu, qui modò à nobis explicatur: ergò non aſſimilatio hominis cum Deo; cum per officia verè ſocialia homo in aſſimilationem cum Deo veniat, &c. Hæc illæ. Etſi verò hîc multa principia cumulata videas, vix tamen re penitius inſpectâ aliquid deprehendes, quod reverà Dn. Pufendorffio aliisque, qui eum ſequuntur, contradicat, cum omnia ultimò in ſocialitatem reſolvantur, & Pufendorffius

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [54] - 38

dorffius hanc pariter, ut Autor, voluntati divinæ & imperio Dei ſapientis, boni, ſancti & juſti ſubordinet, minimè autem opponat. Laudandus ſanè eſt hic vir, quod veritati, de qua convictus fuit, locum reliquerit, nec ex ſola ambitione, ut multi alii, contradicere perrexerit. Clarior adhuc ejus mens apparet ex §. 8. ubi ita: Cum homo per naturam ſit animal ſociale, convenienter ſuæ naturæ acturo non poterit non cuſtodia ſocietatis curæ eſſe; judicabitque intellectus, abſtinendum eſſe à cæde, à furto alienum reſtituendum & damnum maleficio & injuria: datum reparandum.

§. 62. Ferè oblitus eſſem *Valentini Alberti*, tunc temporis Licentiati & Profeſſoris Lipſienſis. Hic in præfatione ad Collegium MSCtum Grotianum (quæ impreſſa habetur in *Paræneſi Alberti ad Studioſam juventutem poſt extinctam peſtem A. 1681.* publicata) nec non in libro ſuo, qui titulum præ ſe fert: *Compendium juris naturæ Orthodoxæ Theologiæ conformatum*, ſubinde hypotheſes Pufendorffii refutare ſuſcipiebat. Sed reſponſionem inveniebat in *Specimine Controverſiarum Samuelis Pufendorffio circa jus naturale nuper motarum*, cujus jam aliquoties mentionem injecimus: opponebat *Alberti Specimen Vindiciarum adverſus ſpecimen Controverſiarum Sam. Pufendorffii*, & cum Titulus Speciminis Controverſiarum Pufendorffii verſum *Propertii: Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria*, præ ſe ferret, Alberti contra titulum Speciminis Vindiciarum ſequenti verſu *Horatianô* exornari curabat:

-- -- Dixit adhuc aliquid?
Nil ſanè. Quid placet ergò?

Sequebatur *Pufendorffii Eris Scandica*, Alberti *Eros Lipſicus*, & iterum Pufendorffii *Commentatio ſuper invenuſto Veneris Lipſicæ pullo, Val. Alberti calumniis & ineptiis oppoſita.* Edidit quoque Puffendorffius *Spicilegium Controverſiarum ipſi motarum*, cui reſpondit Alberti in Paræneſi modò allegata.

§. 63. Quantum vero in ſpecie ad citatam Commentationem ſuper invenuſto Veneris Lipſicæ pullo attinet, *Pufendorffius* dicebat, Venerem, uxorem Vulcani, Erotem huncce Lipſicum Vulcanô jam ſene peperiſſe, cum antea nullum ex eo, plures ex mœchis liberos ſuſcepiſſet, jam verò vetula & edentula facta eſſet & ſic mœchis non amplius placuiſſet. Dixerat Alberti, Erotem ſignificare charitatem, adeoque ſe Pufendorffii Eridi (contentioni) hanc opponere voluiſſe; Sed regere-

bat

bat Pufendorffius, charitatis christianæ aliam esse indolem, quàm ejus, qualem in Pufendorffium exerceret Albertî. Quam & ideò (inquit *p. 26. in f. alleg. Comment.*) credo insignire voluit vocabulo satis literis incognito & quô salacres Poëtæ in centorem impurarum libidinum notant.

§. 64. Quid ad hanc commentationem Alberti? Veniebat ipsi in mentem notum illud: solamen miseris socios habuisse malorum, atque adeò socium quendam quærebat, quem huic controversiæ immisceret. Erat is *Dn. de Seckendorff*, cum quo responsionem, quam meditabatur, communicabat, eundem in sententiam suam pertrahere annitebatur. Dictum factum. Prodibat enim non multò post *Val. Alberti Epistola ad illustrem Excellentissimumq. Seckendorffium commentum Samuelis Pufendorffii de invenusto Veneris Lipsicæ pullo refutans. Adjectæ erant ipsius etiam Seckendorffii notæ quædam atq. animadversiones. Lipsiæ 1688.* Prodiit quoque Scriptum Anonymum: *Sam. Pufendorffius modestiæ castigatione admonitus*, quod præcipuè contra Pufendorffii Commentationem super invenusto Veneris Lipsicæ pullo directum est. Pariter Alberti edebat *judicium de nupero scripto Pufendorffiano, quod Dissertatio Epistolica D. Josuæ Schwartzii ad Privignum suum inscribitur*, (v. suprà §. 52.) in hac enim Dissertatione etiam Alberti se impetitum esse dicebat, & præsertim quod Pufendorffio titulus illustris, Seckendorffio autem clarissimi saltem viri tributus esset, conquerebatur. Fortè etiam Seckendorffium contra Pufendorffium moverat, quod hic in *Comm. super inven. Ven. Lipsic. pullo* eum Compatrem Erotis Lipsici appellaverat, subjunctô judiciô: Seckendorffium in universum, ni propriæ eruditionis admiratio mentem fascinâsset, longè melius famæ suæ consuluisse, si libris scribendis ipse abstinuisset & exemplo aliorum illustrium virorum literas æstimantium ἐργοδιώκτην & promotorem literatorum egisset eosque ad præclara opera stimulâsset, iisdemq; materiam suggessisset. Sic enim arbitri & Patroni partes gradu velut superior non sine autoritate agere potuisset, cum nunc inter mediocres valde conscribillatores sit referendus, vix in quarta aut quinta classe locum sortitus. Hæc Pufendorffius *loc. cit.* Cæterùm Seckendorffium vel invitum quasi in hanc litem irretitum fuisse satis exinde apparet, quòd alias ipse statuerit, jus naturæ ex ratione deducendum ejusque normam socialitatem ponendam esse, *vid.* Entwurff oder Versuch von dem allgemeinen oder natürlichen Recht / *in calce Orationum*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [56] - 40

num Germanicarum Seckendorffii, unde integrum locum, qui hanc ipsius mentem perspicuè explicat, transtulit *Dn. Thomas. in Dissert. proœm. ad instit. Jurisprud. div. §. 53.* Tandem verò interponentibus sese amicis lis inter Pufendorffium, Alberti omnesque adhærentes feliciter sopita fuit.

§. 65. Illud adhuc addendum. Disputavit quidem uterque, D. Alberti & Strimesius, *(v. §. 61.)* contra Pufendorffium, quod hic hominem in jure naturæ consideret in statu corrupto, & verò juxta eorum sententiam status integritatis fundamenti locô poni debeat; Sed tamen nec iisdem inter se ubique convenit: scilicet Strimesius Ethnicos naturâ Magistrâ de statu creationis sive integritatis certos fuisse, & modum saltem ejus status ignorâsse contendebat: Alberti contrà Ethnicos statum illum penitùs ignorâsse, rectè quidem negabat, sed tamen quod hâc parte in ipsorum gratiam non sit condescendendum, si ipsi Scripturam agnoscere nolint, sustinere volebat. Hinc utriusque collisio oriebatur. Strimesius sententiam suam peculiari Dissertatione ulterius adstruebat, cui pro Alberto respondebat Seligmannus, *v. Dn. Thomas. Jurispr. Div. l. 1. C. 2. §. 12. in not.* Et ubi Alberti Pufendorffium comparativè laudaverat *P. 1. C. 1. §. 27. Comp. jur. nat. orthod.* quod cautius Hobbesio procedat, & cùm hominem in huncce mundum projectum sine artib9& extra societatem miserè viventem ponat locô hypotheseos suæ, hanc tamen satis apertè non ut Hobbesius pro actuali, sed ficta solùm habeat; Propterea à Strimesio notabatur, quod scilicet Pufendorffium, ex ficta & falsa hypothesi jus naturæ deducentem, immeritò laudandum censeret, *v. Strimes. Praxiol. apodict. C. 2. §. 5. in supplem. Albert. in præfat. ad Part. 2. Comp. jur. nat.*

§. 66. Lubet & hoc adjicere, quâ ratione Alberti refutandô Pufendorffium se ipsum refutaverit. Ita enim fieri affilet, si affectibus nostris indulgeamus. Scripserat Alberti in *Comp. jur. nat. orthod. P. 1. C. 1. §. 28.* contra Pufendorffium, statum naturalem tempore primæ originis ad captum Gentilium miserrimum fingentem, sequenti modô: *Nos tamen Lutherani adsueti sumus ad fingendum nihil*, (ne quidem in Philosophia, quia ex ejus hypothesi contradictoriè Christiana esse debet,) *cujus contrarium à Deo ipso revelatum est.* At verò, ut subsumere volebat, Scriptura sacra nos docet, hominem non in statu indigentiæ & miseriæ,

ſed ſummæ perfectionis creatum eſſe. Verum Pufendorffius illi monſtrabat, quod *P. 2. C. 7, §. 21. Comp. ipſe ita diſſeruiſſet: imò finge per impoſſibile, extitiſſe tum (tempore Adami) tantum hominum numerum, quantus ad poſſidendum terrarum orbem fuiſſet requiſitus, ſingulis Dominii partem aliquam concedere opus habuiſſet Protoplaſtus, quia pro ſingulis aliquam accepiſſet. Aliàs enim fuiſſet injuſtus.* At verò ſine omni dubio Lutherano hujus fictionis contrarium revelatum eſt à Deo ipſo, videlicet, tantum hominum numerum, quantus ad poſſidendum terrarum orbem requirebatur, tempore Adami & primævæ creationis non extitiſſe, Cæterùm, ſalvâ Religione Chriſtianâ aliquem ea fingere poſſe, quæ Deus nobis revelavit aliter ſolide comprobat. *Exc. Thomaſ. Diſſ. probem. ad inſt. jurispr. div. §. 52.*

§. 67. Tanden adduci quoque meretur *Pufendorffii Epiſtola ad amicos ſuos per Germaniam ſuper famoſo libello Nic. Beckmanni ſub nomine Veridici Conſtantis edito*, quæ adjecta eſt ſpecimini controverſiarum A. 1678. typis excuſo; Reſpondit in hac Pufendorffius præcipuè Schertzero (de quo ſupra §. 53. ſeq. qui quidem in ſcriptis de imputationibus ſuis in Pufendorffium devolutis rationem reddere ſubterfugerat, interim tamen in Collegio quodam privato ipſum arrodere non deſierat. Controverſia erat primaria de quæſtione: *An eſſentialis Dei juſtitia ſit archetypa Legis naturalis humanæ?* item, *an Lex naturæ cordibus hominum inſcripta?* nec non *de indifferentia actionum & de ſtatu hominum naturali?* Et hæc ſunt quantum mihi conſtat, ſcripta, pro & contra Pufendorffium in quæſtionibus juris naturæ emanata.

§. 68. Poſtularet jam ordo, ut ſingulas Controverſias, quæ Pufendorffio cum adverſariis interceſſerunt, breviter recenſerem; ſed id quidem anguſti limites, quos Delineationi huic ſemel præfixi, in præſenti non admittunt. Eſſet quoque ſupervacuum iſtiusmodi laborivacare, poſtquam id jam ab ipſo Pufendorffio in *ſpecimine & ſpicilegio controverſiarum*, quæ ſæpiusculè hactenus allegavimus, nec non ab *Excellent. Dn. Thomaſio in libro 1. inſtit. Jurispr. div. paſſim* præſtitum fuit. Quid? quod adverſarii plurimos ex ductu affectuum immiſcuerint articulos, hetherodoxiam, ſi non quid gravius ſapientes, quæ ad elucidationem juris naturæ nil plane conferunt. Id ſaltem ex citato Dn. Thomaſio excerpemus, quod fundamentum totius Diſciplinæ tangit. Scilicet Scholaſtici eorumque Defenſores ad jus naturale pertinere

nere dicunt *actus per se ac sua natura honestos vel turpes*, ad jus positivum autem actiones indifferentes, & ut hoc adhuc ulterius explicarent, in Deo attributa illa duo, *Sanctitatem & Voluntatem* à se invicem separârunt, & tum *ex sanctitate, tanquam lege æterna actionum ad jus naturæ, ex voluntate autem actionum ad jus positivum spectantium moralitatem deduxerunt.* Hinc etiam originem sumsit locutio eorum: *Obligationem in jure naturali ex objecto se diffundere in præceptum*, in positivo ex præcepto in objectum. item: *actiones juris naturæ esse honestos vel turpes antecedenter ad voluntatem divinam.* Contra Pufendorffius omnes actiones Physicas abstractas à Circumstantiis moralibus nec præceptas nec prohibitas, sed indifferentes esse, voluntatem item divinam â Dei sanctitate separari, multò minus sibi opponi & ut antecedens aliquod & consequens considerari posse, asserebat, quæ omnia perspicuè explicat, & simul Legem Dei æternam nil nisi figmentum Scholasticorum esse ostendit *Dn. Thomas. l. c. l. 1. C. 1. §. 31 C. 2. §. 74. seqq. c. 4. §. 20. seqq.* Pertinet huc etiam Controversia, *quomodo Lex naturalis cordibus hominum inscripta sit?* quod Scholastici *per modum habitus cujusdam conati factum esse* asserebant, & exinde ipsis etiam infantibus notitiam primorum principiorum practicorum tribuebant, licet *aliqui* adhuc altius philosopharentur, atque *infantibus illa principia neque per modum potentiæ, neq; habitus conati, sed alicujus inter actum & potentiam intermedii inesse* absurde prorsus arbitrarentur. Pufendorffius contra hic nil nisi *potentiam* aliquam agnoscit, vi cujus homines injustâ ætate constituti prævia meditatione veras conclusiones ex primis principiis deducere possunt. *Dn. Thomas. l. 1. C. 2. §. 66. seqq.*

§. 69. Huc ergo recurrunt, ex iis, quæ hactenus allata sunt, Dissensiones circa fundamentum juris naturalis. *Scholastici sanctitatem Divinam voluntati Dei contradistinctam eamque antecedentem* supponunt, & exinde propositionem fundamentalem sequentem extruunt: *Quicquid est contra illam sanctitatem, seu quicquid est per se & suâ naturâ turpe, illud est contra jus naturæ:* vicissim: *Quicquid convenit cum illa sanctitate, seu quicquid per se & suâ naturâ est honestum, illud est juris naturæ.* Sed hic recurrit quæstio: quid tum demum cum sanctitate divina conveniat, quid non, & quomodo hoc ex sola ratione cognosci possit? *Grotius socialitatem* quidem pro fundamento genuino agnoscit, *sed eidem* ad captandam scholasticorum benevolentiam *modò dictam convenientiam cum sanctitate divina adjun-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [59] - 43

git, v. suprà §. 27. Hobbesius (v. §. 35. Homines in statu naturali consideratos jus omnium in omnes habuisse, & eaquapropter, quia ex hoc jure interitus aut certè devastatio humani generis metuenda erat, ad ineunda pacta de servanda pace coactos fuisse dicit. Adeoque fundamentum supponit: *ut quisque vitam & membra sua, quantum potest, h. e. etiam cum damno alterius tueatur*, id est, jus naturæ ipsius nihil est, nisi tale, *quod in mera utilitate privata fundatur*; adeoque secundum hæc principia procederet, quod aliàs contra Socialitatem Pufendorffii objici solet, videlicet, quod Servi & Ancillæ, qui absente Dominô ejus bona dissipârunt, se eô redeunte ex hoc capite excusari possint, quod socialiter vixissent, id est, quod *socialitatem aliquam privatam cum alterius damno conjunctam, seu communi socialitati contradistinctam*, (qualis nunquam Pufendorffio aliisque in mentem venit) *exercuissent.* Ergò *Pufendorffius* rejectâ Scholasticorum perseitate & Hobbesii utilitate singulorum, jus naturæ in *socialitate communi omnium hominum* consistere, idque principium *verum, adæquatum & evidens* esse docet. Propositio autem fundamentalis, ex quo ad ejus mentem omnes conclusiones deducendæ sunt, hæc est: *Jus naturæ præcipit omnia illa, quæ faciunt ad promovendam socialitatem, s. pacem & tranquillitatem communem*, & vicissim *prohibet ea, quæ hanc socialitatem directò turbant.* Denique *D. Alberti & Strimesius* fundamentum juris naturæ in *convenientia cum statu integritatis* quærunt, & Alberti quidem hanc convenientiam eò melius explicari posse putat, si status ille integritatis diversimodè accipiatur, id est, vel *formaliter*, vel deinde *normaliter*, ita ut status integritatis præsentis status regula esse debeat, si non ubique normaliter, tamen formaliter, quod lepido, sed perspicuo exemplo illustrat & refutat *Dn. Thomas. l. c. C. 4. §. 47. in not.* ex quo capite hæc, & quæ sequentur, breviter contraximus. Orta occasione hujus hypotheseos est disquisitio accuratior circa naturam status integritatis *an ibi Respublicæ, imperia*, aliaque quæ hodie deprehenduntur, futura fuissent, quæ Alberti asserenda esse putabat. Non multùm ab hac sententia Albertina, quoad derivationem juris naturæ ex statu integritatis, discedit *Mevius in Prodromo Jurisprudentiæ Gentium communis.* De hoc nuper *Vir Magnif. Dn. D. Pauli, Prof. prim. Region, in tract. theoret. de veris juris & Jurispr. princip. Part. 2. quæst. 12. p. 96. seq.* sequens judicium tulit, quod

quod ideo, cum valdè ad gustum nostrum sit, hîc inserere lubet. *Plurimi*, inquit, *tam Theologi, quam JCti, jus naturæ ex Paradyso & statu integritatis demonstrare satagunt. Inter hos Mevius illud ab imagine Dei, ab anima homini inspirata & per traducem propaganda, à perfecto ipsius intellectu, exacto judicio recta voluntate, mente justa, velut essentialis Dei justitiæ effigie repetit Mox verò lapsu Protoplastorum naturam generis humani ita depravatam esse ait, ut nec intellectui, nec voluntati, nec judicio, nec juri naturæ sua manserit integritas. Ejus restaurationem Deum quidem in ira meditatum, per exitium diluvii. Cum vero nec Noachus, nec posteri ipsius, velut vino, voluptatibus & ambitioni dediti, spem conceptam adimpleverint, inde Deum Noachidis (ex quorundam sententia) certas Leges dedisse, quæ tamen cum & ipsæ nondum sufficerint, evilescente sensim Lege Naturæ, vel insensum reprobum detorta, tunc demum Deum humani generis misertum, sibi populum elegisse, velut hereditatem, forum & civitatem, in quo lumen naturale, per depravationem mentium obfuscatum, vel plane extinctum, verbi sui manifestatione rursum accenderit, ut ex isto candelabro Decalogus & Lex Mosis, sicut fax imposita per totum orbem luxerit. Porro cum iterum Judæorum pravæ interpretationes subintrarint, ac genuinum Legis naturæ sensum perverterint, ut per traditiones humanas, verum intellectum & vim amiserit, Deum rursus restaurationem humanæ naturæ depravatæ per filium unicum, in mundum missum, uti Legis naturalis reparatorem, procurasse. Qui dum super terris vixit, plurima in lucem revocaverit, exposuerit, declaraverit, testibus iis, quæ per Evangelistas & Apostolos sunt tradita, ita tamen, ut novam legem non tulerit, sed veterem tantum explicaverit.* Subjungit mox Vir Celeberrimus sequentia: *Hæc aliaque laudatus Mevius, qui in libello isto in Theologiæ Oceanum tam altè se abripi passus est, ut liber iste non tam Jurisprudentiæ, quam magni cujusdam Systematis Theologici prodromus videri queat. Sed diversi sunt habitus juris scientiæ & prudentiæ. Nec statim qui in litibus decidendis & judiciis excellit, æquè feliciter contemplatur. Scilicet horum, qui de rebus civilibus scribunt, maxima pars, vel supponunt, vel petunt, vel postulant, inquit Hobbesius de Cive C. 1 n. 2. Dictum istud suo sensu in Mevium apprimè quadrat, qui in tota sua demonstratione id ubique petit, quod erat in principio quæsitum, &c.* Cæterum quidem Vir Celeberrimus *d. quæst. 12.* etiam contra fundamentum Socialitatis fusè disputat, ejusque insufficientiam ostendere nititur; Sed quoniam postea *quæst. 16.* hanc definitionem Juris naturæ suppeditat, quod per illud intelligantur *universalissima tam virtutis omnis, quam imprimis Justitiæ axiomata, quæ natura, vel naturalis ratio apud omnes ubique homines, adeoq;*

& barbaros constitui, & quæ apud omnes Gentes sociales custodiuntur, facillimè cum Pufendorffio aliisque conciliari posse videtur, si modò illa, quæ inferius §. *88. seqq.* pro explicanda mente Pufendorffii adducuntur, diligenter expendantur.

§. 70. Provocarunt quidem omnes *ad convenientiam cum recta ratione,* sed id meritò tanquam principium obscurum considerandum fuit, dum quilibet rectam rationem aliò atque aliò modò explicare nisus est. Scholastici enim rectam illam rationem ad sanctitatem Dei & Legem suam æternam, Hobbesius ad conservationem sui, Alberti ad statum integritatis, Pufendorffius ad socialitatem referebat. Ergò quod in se incertum est, nec certarum conclusionum inde deducendarum norma fieri potuit. Tribonianus sub nomine Justiniani loco unius tria suppeditat Juris præcepta in §. 3. *J. de J. & J. Honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere,* sed unum saltem desideramus, & adhuc dum quærimus aliud principium, ex quo dijudicari possimus, quid sit honestè vivere, alterum non lædere & suum cuique tribuere. Putavit tamen *Velthem in Introd. ad Op. Grot. l. 1. C. 1. qu. 4.* ex his primum: *Honesta esse facienda, turpia omittenda, & Sirmesius de originibus Jur. nat.* tertium: *Suum cuique esse tribuendum,* optimò jure pro principio actionum venditari posse. Quò jure aut injuriâ, ex dictis facilè apparebit. Alii exosculantur brocardicum juris naturæ: *Quod quisque juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur,* cui genuinum alterum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* in quo tamen & evidentiam & adæquationem meritò desiderat *Dn. Thom. l. c. §. 18.* Reliqua, quæ ab aliis pro principiis juris naturæ venditantur, vel eodem vitiò laborant, vel cum socialitate coincidunt, & tantum alium verborum fontum præ se ferunt, quo spectant principia *de communi felicitate promovenda, de mutuo adjutorio, mutua benevolentia, amore, &c.*

§. 71. Et ita quidem rectè Illustris Pufendorffius circa investigationem primi principii juris naturalis processerat, omnibusque adversariis suis famam & scripta ejus arrodentibus, os obturaverat; Quemadmodum tamen illis accidere communiter solet, qui repurgationem alicujus disciplinæ suscipiunt, ut ob infirmitatem rationis humanæ ad omnia simul accurate attendere nequeant, sed aliis etiam hominibus aliquid relinquant, in quo ingenium exercere possint: ita & Pufendorf-

fius

sius jactô licet accuratè fundamentô, in pluribus tamen exinde profluentibus conclusionibus vel ex infirmitate, ut dixi, rationis humanæ, vel fortasse etiam ex prudenti circumspectione ne regnum tenebrarum adhuc magis irritaret, à dicto suo primo principio quadantenus discedebat. Dedit hæc res occasionem *Viro Excellentissimo, Dn. Christiano Thomasio,* tunc temporis jura Lipsiæ magno cum applausu docenti, ut non solum ipsam propositionem fundamentalem magis magisque confirmare & explicare, sed & reliqua, quæ adhuc prætermissa videbat, restaurare & emendare susciperet. Legi hîc omnino merentur. §§. *priores Dissertationis proœmialis, quæ Instituti Jurispr. div. præfixa est,* ubi totam seriem fidelissimè, ut solet, recenset, qua ratione à nugis exoletis, quas antea in succum quasi & sanguinem jam converterat, liberatus fuerit atq; veritatem doctrinæ Pufendorffii agnoscere inceperit. Factum hinc est, ut *Institutiones Jurisprudentiæ divinæ, in quibus fundamenta juris naturalis secundum hypotheses illustris Pufendorffii perspicuè demonstrantur, & ab objectionibus dissentientium, potissimum D. Valentini Alberti, Prof. Lipsi. liberantur, &c.* typis exscribi curaret.

§. 72. Consentit ergò cum Pufendorffio quoad præcipua capita & in specie quoad propositionem universalem fundamenti locô substratam; In aliis tamen & à Puffendorffio dissentit, ubi primum locum faciunt controversiæ circa causas matrimoniales. Scilicet Pufendorffius cum communi Schola adhuc defendit incestum in linea ascendenti & descendenti (qui in *l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult.* incestus juris Gentium incestui juris civilis contradistinctus appellatur) esse jure naturæ prohibitum, & solummodo illum, qui est inter fratres & sorores pro concesso haberi, *Puf. de I. N. & G. l. 6. C. 1. §. 32. 33. 34.* Pariter & interdictam esse illam Polygamiæ speciem, quâ una fœmina pluribus viris simul nubit, circa alteram autem, quæ virilis vocatur, & ubi unus masculus plures fœminas in uxores ducit, judicium suum suspendit, *loc. cit. §. 15. 16. 17.* nec eam prohibitam esse, nec concessam asserere audet. Dn. Thomasius contra suppositô semel & demonstratô, socialitatem esse principium verum, evidens & adæquatum juris naturæ, cordatè exinde infert, omnia hæc jure naturæ permissa esse, quia socialitatem per se & directô non turbant, adeoque eorum prohibitionem ex jure positivo divino repeti debere, de quo posteà, *V. Inst. Jurispr. div. l. 3. C. 2.*

§. 73.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [63] - 47

§. 73. An non Adversarios & Persecutores habuerit ob collatum hoc in rem literariam maximum beneficium? Domitiana fortè est quæstio. Conqueritur hac de re in *Diss. Præm. Inst. Jurispr. div. præf.* §. 28. quod nempe eô tempore, quo primus liber Institutionum Jurisprudentiæ divinæ in publicum prodiit, variæ dedictis Institutionibus censuræ in populum sparsæ fuerint, quas inter & hæc, ac si in iisdem fundamenti locô ponerentur principia, quæ Studiosis ad *Atheismum, heterodoxiam & impietatem* viam sternerent, quæque omnia *Philosophium* aliquam *novaturientem* cum non parvo Reip. damno saperent, & hanc calumniam tam latè se diffudisse addit, ut in plurimis fœminarum, puerperas visitantium, conventibus pro more sermones de hac re habiti fuerint. Amovet vero omnes has imputationes in §§. proximè subsequentibus. Ceterum tamen in scriptis à nemine ex professo, ut dicitur, impetitus est. Juvat hic iterum ipsum audire Thomasium. Ita verò in *Program. Germ. quod Jurispr. div. præfix.* loquitur: Gewiß/ wann ich zur selben Zeit/ da der Herr von Pusendorff zu schreiben anfienge/ meine Institutiones verfertiget und die Lehren vertheidiget hätte/ die anjetzo im andern und dritten Capitel des dritten Buchs (quæ agunt de officiis hominum intuitu Societatis conjugalis) anzutreffen sind; ich glaube gäntzlich/ man würde mich nicht anders/ als den ärgsten Ketzer tractiret haben/ so gar war damahls die gelehrte Welt in den Præjudiciis der alten Lehren ersoffen; massen man dann deßwegen einen so grossen Lermen mit dem Herrn von Pusendorff angefangen/ als er nur von der Polygamie vieler Weiber in seinem Opere de Jure naturæ pro & contra raisonniret, und doch den stärcksten Ausschlag gegeben/ daß dieselbe dem Recht der Natur nicht gemäß sey. Was würde man erst gethan haben/ wann er/ wie ich/ offenbahrlich behauptet hätte/ daß weder die Polygamie vieler Weiber/ noch vieler Männer/ ingleichen die Blut-Schande in gerader Linie/ u. s. w. aus dem Recht der Natur könne bestritten werden/ sondern daß die Unzuläßigkeit dieser Laster eintzig und allein aus der heiligen Schrifft hergeführet werden müße. Und gleichwohl hat die Glückseligkeit unserer Zeiten mir die Ruhe verschafft/ daß diese meine Institutiones nicht allein cum approbatione & censura, und zwar der erste Theil davon selbst zu Leipzig gedruckt worden/ und daß man mich dieserwegen in öffentlichen Schrifften unangefochten gelassen/ sondern daß auch der Herr D. Alberti selbst dazu stille geschwiegen/ der doch sonst nicht

leichte

leichte etwas unbeantwortet läßt. ꝛc. Hoc non prætermittendum, quod cum à *D. Alberti, Strimesio, Velthemio* aliisque Pufendorffii adversariis socialitas ex eo capite impugnata fuerit, quod scilicet ea non sit principium adæquatum, quia officia erga Deum & erga se ipsum exinde deduci nequeunt; *Dn. Thomasius in Jurispr. div. l. 1. C. 4. §. 73. seqq.* hypothesin Pufendorffii ita declaraverit, circa cultum divinum distinguendum esse inter externum & internum. Si Dissentientes loquuntur de cultu externo, tunc extra dubium quidem esse, quod jus naturæ de eo nil disponat, sed verò hoc etiam non esse officium JCti, sed pertinere ad Theologiam. Si verò sub nomine officiorum ergà Deum intelligant obligationem erga Deum in genere, tunc id præceptum, *Deo pare*, non esse præceptum juris naturalis, sed ejus præsuppositum. Pertinere enim ad jus divinum in genere, & sic quando explicantur præcepta juris naturæ, jam certum esse, quod Autori eorum sit parendum. Aliàs enim non essent præcepta vel leges. Officia autem hominis ergà se ipsum propriè loquendo non dari. Cum nemo sibi obligatus esse possit, & ergò nec sibi debeat officium. Quæ autem ita vocantur officia, reverà esse officia vel ergà Deum, vel ergà alios homines, quatenus occasione sui ipsius homo utrisque sit obligatus, adeoque respectu Dei ex scriptura, respectu aliorum hominum autem ex socialitate deduci debeant & possint. Solet quidem & hoc objici, quod tunc, si socialitas sola pro principio adæquato venditetur, e. g. Senex secundùm jus naturæ vivere nequeat, cùm in viribus ipsius amplius non sit, ut socialitatem communem promoveat; posse verò eundem juri naturæ satisfacere, si præceptum aliud e. g. *de temperantia colenda* priori adjungatur. Sed facilem puto & hîc esse responsionem. Senex enim, licet ipsô factô ob imbecillitatem virium, nihil ad communem socialitatem promovendam conferre queat, potest tamen consiliis adjuvare. Imò etiamsi & ad consilia ineptus sit, vivit tamen eô ipsô jam secundùm jus naturæ, modô nihil admittit, quod socialitatem turbat. Neque enim ita crudè præceptum *de colenda socialitate* accipiendum est, ac si necessariô & semper factum aliquod accedere debeat, sed supponendi sunt termini habiles, in quantum scilicet illud unicuique possibile est. Valebit ergò hîc tritum illud: Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

§. 74. Non tamen prætereunda est controversia, quæ cum *Joh. Ludovico Praschio* ipsi intercessit. Ediderat hic duos Tractatus, alterum *de Lege Caritatis*, alterum *Designationem juris naturalis ex disciplina Christianorum*, in quibus demonstrare nitebatur, daß das natürliche Recht hauptsächlich in der Liebe / die Christus so sehr treibet / bestehet / vel, quod jus naturæ ex S. Scriptura derivari oporteat. Cum autem Dn. Thomasius in seinen monatlichen freymüthigen Gedancken / quas tum temporis edebat, dubia sua contra hanc sententiam exponeret, eandemque fundamentô destitui monstraret, Praschius hoc concoquere nequibat, sed in plagula quadam, cui Titulus: Joh. Ludwig Praschens klahre und gründliche Vertheydigung des natürlichen Rechts nach Christlicher Lehre / wieder Herrn Christian Thomasens Anfechtungen / Regenspurg 1689. Dn. Thomasio respondere volebat. Quô fundamentô benevolus Lector facilè judicare poterit. Sunt à se invicem prorsus distincta lumen rationis & revelationis, & diversa exinde officia fluunt. Jam quando de Jure naturæ sermo est, omnes qui unquam vocabulum Juris naturæ ritè intellexerunt, officia ejusdem ex lumine rationis derivari sciunt, non ex lumine revelationis, quod Theologiæ munus est. Ergò, qui jus aliquod naturæ ex S. Scriptura deducendum esse contendit, duo illa lumina & disciplinas à se distinctissimas miserè inter se invicem confundit, nec jus naturæ docet, sed Theologiam, & officia non hominum, sed Christianorum. Concedendum quidem hoc illi est, sed & vicissim istiusmodi homo alios carpere non debet, qui cujusvis disciplinæ limites accuratè custodire cupiunt. Fluit ex præcedentibus & hoc, quod in jure naturæ non quæratur, an aliquis regenitus sit, an non, sed quod officia hujus juris naturæ à quocunque etiam Gentili percipi ritè queant. Ideò enim vocatur *jus naturæ*, quia in ejus cognitione vires naturæ sibi relictæ utramque faciunt paginam. Neque ergò ad meliorem cognitionem juris naturæ restauratio imaginis divinæ in nobis necessaria. Et si velis dicere: Restaurationem tamen imaginis divinæ conferre magis ad cognitionem *juris naturæ restauratæ per Christum*, tunc iterum terminorum confusionem fieri & vocabulo juris naturæ alienum prorsus significatum affingi respondeo. Jus enim naturæ restauratæ nihil aliud est, quam Theologia moralis, & officia hujus juris sunt ea, quæ aliàs dicuntur officia Christianismi. At de offi-

officiis Christianismi agere, extra JCtorum & Philosophorum, quatenus talium, sphæram esse non immeritò censetur.

§. 75. Coronidis locô etiam addere lubet, quid novissimè contra principia à Pufendorffio & Dn. Thomasio in jure naturæ substrata obmovere voluerit *M. Albrecht Christian Rotthe*, Ecclesiastes Lipsiensis in libello quodam, qui portentorum portentum nomen præse fert, in quo inter alias etiam sequentes opiniones tanquam errores gravissimos, imò tanquam portenta & monstra, recenset. *P. 53*, hæc habet: *Actuale peccatum contra jus naturæ Thomasius nullum admittit, nisi quod rationibus naturalibus est domonstrabile, & quod socialitatem turbat. Hinc non veretur scribere, quod incestus, Sodomia, Simonia, non sint contra jus naturæ. Item scribit, Polygamia, & virilis, & muliebris merò jure naturæ non est interdicta. Præsupponunt hæc*, addit cum NB. *(1) inusitatam, imò falsam juris naturæ interpretationem.* (Ita sanè est, si Rotthius potestatem Papalem Philosophicam habet, pro lubitu aliquid tanquam falsum declarandi.) *Contra jus naturæ est*, pergit, *quod contra rationem rectam in actionibus moralibus atq; adeò intrinsecè malum est, sive socialitatem turbet, sive non, sive sit ex corruptæ naturæ lumine cognoscibile, sive minus. Sufficit si ex Scripturæ lumine intelligamus, quod turpitudo in ipsa rei naturâ insit.* (Ad verò turpitudinem in ipsa rei natura inesse, jamdudum contra asserentes Scholasticos evicerunt Pufendorff & Thomasius, cur ergò eorum rationibus non respondet Autor? sed ipse de se dictum putat: *Sic volo, sic jubeo*, stet pro ratione voluntas. Deinde sibi etiam contradicit, dum primò rationem rectam normam actionum moralium ponit, & tamen deinde earum moralitatem ex Scriptura peti debere asserit. Sed hoc immoderato zelo condonandum.) Pergit: *(2) Facilè hæc seducunt alios, ut credant illa naturaliter esse licita*, (uti & sunt, sed tamen simul jure divino positivo prohibita,) *& cum se in naturali libertate constitutos arbitrentur*, (quomodo hoc sine summa stoliditate arbitrari possunt ii, qui sacram scripturam habent, & legibus Reip. in qua vivunt, obstricti sunt?) *talia flagitia committant.* (Committuntur proh dolor! etiamsi hypothesis scholastica de perfeitate assumatur. Ergò non est vitium doctrinæ, sed hominum.) *Igitur (3) nec consultum, neq; veritati consonum est, ut ita loquamur.* (Cur non? fortè quia Autor hoc inter errores & portenta refert? Ridiculum.)

§. 76. Similia habet *p. 75.* ubi de cultu divino externo quædam

dam adducit, & fatetur quidem, *quodammodo concedi debere, cultum illum externum jure naturæ non esse determinatum, at verò eum nec esse præceptum, quod sustinet Dn. Thomasius, durum dicere esse ait, cùm præceptum tertium Decalogi cultum publicum septimo quôq; die instituendum requirat, illud vero præceptum sit morale ac naturale.* (At verò hoc erat, quod probare debebat, tertium præceptum esse præceptum naturale, s. juris naturæ. Sed ubi est probatio?)

§. 77. Porrò *p. 82.* ea, quæ ante adduxerat de incestu, sodomia, &c. denuò repetit. Dicit: locutiones, *id saltem esse juris naturæ, quod ex socialitate est demonstrabile*, esse scandalosas & probationes falsas, ut ipse Thomasius jam agnoscere videatur in Disp. *de insuff. princip. defin. caus. matrim. §. 144.* (Ego verò citatô locô non reperio, Dn. Thomasium principia sua tanquam scandalosa accusâsse.) *Hinc*, concludit, (ex quibus præmissis autem hoc infert, quia nullas præmisit?) *omninò absurdæ sunt ipsius sententiæ suprà traditæ. Taxo*, addit, *loquelam, non sensum in omnibus.* (Melius dicitur: Nescit, quid taxet, sed ex affectu loquitur.) *Sufficere enim videtur, si jure positivô universali interdicta concedat, quæ alii jure naturæ interdicta credunt.* (Ergò si hoc sufficere videtur, cur ergò monstra, portenta, errores, absurditates, scandala, & nescio quid ulterius clamitat?) *Nec illud*, addit, (jam sibi iterum non constat, sed quæ modò concesserat, negat,) *quod jus divinum positivum etiam diversa tradat à jure naturæ.* (At verò maxima ignorantia esset, si Theologus nesciret imbecillitatem rationis humanæ, & quod adeò jus positivum seu revelatum ulterius progrediatur.)

§. 78. *Ambitionem & metum quidem esse causam constitutarum civitatum* dicit *p. 84. seq. sed non solam, & tantùm secundariam. Primariam autem hanc fuisse asserit, quod natura sit sociabilis sive societatis amans, & civitas omnium societatum perfectissima sit, adeoq; homo naturaliter ad eam inclinet. Antecedens quoad 1. membrum dicit concedere Thomasium, posterius autem Politicos passim probare, e. g. Aristotelem suum & Glasenium.* (Sed oblitus est Autor consequentiæ probationem addere, quæ ante omnia hîc desiderari solet, quem in finem consulere potest Dn. Thomas. Recht Evangel. Fürsten *th. 3. §. 2.*)

§. 79. Eò *p. 101.* delabitur, ut dicat Dn. Thomasium statuere, *quod Princeps quoq; pactis* (saltim *certi generis*, ut addit, sed quid per hæc intel-

intelligat, non exprimit) *ſtare non teneatur.* Provocat ad notas in Monzamb. *C. 8. §. 10. p. 432. in f.* ubi quæritur: *An Princeps obſtrictus ſit pactis ad tolerantiam rerum Remp. apertè turbantium?* Licet verò illa quæſtio ibidem nec affirmativè, nec negativè decidatur, ſed ejus diſcuſſio alii occaſioni reſervetur; Rotthius tamen mox ſubjungit: *Si Thomaſii prætextu, uti liceret, non malè Joſua pactum cum Gibeonitis potuiſſet reſcindere, neq; opus fuiſſet verbis, quibus utitur Joſua c. 9. v. 19. libri ſui, neq; graves pœnas Saul ſenſiſſet pacti hujus violator, 2. Sam. 21. v. 2.* (Non video, quomodo exemplum illud huc quadrare poſſit, cùm pactum inter Joſuam & Gibeonitas Remp. Judæorum apertè non turbaret, de quo tamen caſu expreſsè loquitur Dn. Thomaſius. Deinde Joſua compertô etiam dolô pactum illud de novo confirmabat, & ſic firmiter obligatus erat, *v. Pufend. de I. N. & G. l. 4. C. 2. §. 7.*) *Quid non futurum*, exclamat tandem, *his principiis propoſitis, quæ ſecuritas publica?* (Major omninò, quàm ſi principia Hæretificum & hypocritarum amplius tolerarentur.) *Breviter, concludit, ſcopus omnium, quæ de Magiſtratu proponit, is eſt, ut tùm impiis ſuis novitatibus, tum aliorum hæreticorum perverſis opinionibus locum faciat, vexare autem tùm veterum, tùm recentium Theologorum ac Politicorum zelum verum piumq; poſſit.* (Imò is eſt ſcopus, ut annuente gratiâ divinâ Principibus oculos aperiat, ne rixoſis & ambitioſis Clericis amplius poteſtatem concedant, viros eruditos & pios pro lubitu ſuo ad conſervandam prætenſam ſuam infallibilitatem pro impiis novatoribus & hæreticis declarandi, & veterum aut recentium quorundam Theologorum & Politicorum opiniones aliis tanquam normam divinam obtrudendi. Hoc fortè non eſt ad multorum guſtum. Hinc tot convitia & calumniæ in Viros, eruditione & pietate clariſſimos, ab aliquot annis jam ſunt effuſa, ut illi ſuſpecti reddantur atque exoſi. Sed dabit Deus his quoque finem.)

§. 80. Satis de Rotthio. Progrediamur nunc porrò ad alios juris naturæ Doctores. Inter hos ſe nobis offert Vir Excell. *Dn. Henricus Bodinus*, Conſiliarius Eccleſiaſticus in ducatu Magdeburgenſi, Profeſſor anteà Rinthelenſis, jam Hallenſis celeberrimus. Is, quas in diſciplina juris naturæ foveat hypotheſes, diſtinctè explicuit in Diſſert. *de Jure mundi*, Annò 1690. Rinthelii ad diſputandum publicè propoſita & A. 1698. Halæ iterum recuſa, unde pauca huc pertinentia excerpemus. Definitionem juris naturæ §. 2. hanc tradit: *quod ſit voluntas*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [69] - 53

Dei ſeſe exerens in ORDINE CREATURARUM, *omnes creaturas ad ſervandum ſuum ordinem & non perturbandum dirigens & obligans.* Rejicit paulò poſt opinionem eorum, qui cum Magno Grotio in dictatu rationis jus naturæ quærunt, tanquam periculoſam & abſurdam, cùm quot capita, tot etiam ſint opiniones, & ex hoc fonte diverſiſſimæ illæ & monſtroſæ de jure naturæ opiniones profluant. In §. 7. addit, materiam juris naturæ abſolvere actus naturales, ſecundùm ordinem naturæ inſtituendos, ita quidem, ut totum juris N. ſtudium conſiſtat in cognitione creationis & inde fluentis ordinis & uſu creaturarum, quò ſciamus in quo ordine quæque res creata ſit, eâdemque in illo ordine ad eum finem, ad quem creata eſt, utamur. Hinc non confundendas eſſe virtutes juris naturæ, Temperantiam nempe & Veritatem cum virtutibus juris Gentium & juris Civilis, e. g. fortitudine, magnanimitate, juſtitia diſtributiva & maximam partem commutativa. Inde nulla pacta, nullosve contractus à jure naturæ originem trahere, ſed à jure Gentium & civili. Et licet jure naturæ quoque ad ſervanda pacta obligemur, hac tamen non eſſe vi pacti, ſed vi inſtituti naturalis, quod vetat, ne ſermone aliter, quàm ſecundum naturæ ordinem, utamur. Relinqui ergò, juris naturæ materiam intra actuum naturalium ſeſe continere terminos, cæteras verò concluſiones (e. g. de pactis, contractibus &c.) eſſe dictata rationis, petita per ratiocinationem vel ex jure divino poſitivo, vel gentium, vel civili. Et hinc non inconcinnè diſtingvi poſſe inter *jus naturale ſeu rationabile*, das natürlich begreiffliche Recht/ *& naturæ jus*, das in der Natur eingepflantzte und dieſelbe erhaltende Recht.

§. 81. Qua verò ratione, pergit in §. 8. *ſeqq.* circa actiones iſtas naturales rectè ſeſe gerere debeat homo, id admodum difficile eſſe exprimere, cum lapſu primorum parentum natura humana ita depravata ſit, ut uſum ac ordinem omnium creaturarum non niſi per umbram aliquatenus cognoſcere, nedum obſervare poſſimus. *Ad illum tamen quodammodo inveſtigandum commodiſſimè actiones humanas examinari poſſe ſecundum gradus amoris, ut qui unicum ſit naturæ vinculum, idemque unicus hominis affectus, & in cujus recta gubernatione omnis virtus & verum honeſtum conſiſtat.* Amoris autem *octo gradus* vulgò à Scholaſticis ſolere enumerari. Et *primum* quidem eſſe *amorem Dei*, per quem obligemur ad ejus cultum, & ut omnem creaturam tam in nobis, quam extra nos primariò ad gloriam

Dei

Dei adhibeamus. *Secundum* gradum esse *amorem animæ nostræ* ad commodè transigendam vitam & affectus corporis *secundum rectam rationem* dirigendos. *Tertium* esse *amorem animæ proximi*. Hinc quemcunque obligari etiam cum jactura bonorum suorum curare, ut animus proximi ad vitam rectè transigendam & naturæ ordinem observandum probè informetur. *Quartum* esse *amorem universi*, ut tota natura creata, quantum in nobis sit, conservetur. *Quintum* esse *amorem vitæ nostræ*, pro qua omnibus modis defensio suscipi possit, etiam cum periculo & jactura vitæ alienæ. *Sextum esse amorem vitæ proximi*. Unde neminem habere jus occidendi hominem, nisi à Deo hoc ipsi concessum, vel vi ipsius naturæ ordinis, vel vi legis per expressam sanctionem latæ. *Septimum* esse *amorem bonorum nostrorum*, cùm Dominii origo sit juris naturæ & communio primæva jam dudum ab aliis explosa, utpote impossibilis & contrà ordinem naturæ. Et hinc defensionem rerum nostrarum licitè suscipi etiam cum cæde invasoris, si modò per earum subtractionem in præsens vitæ periculum adducar, & aliô modô hoc vitæ periculum averti nequeat. *Octavum* gradum esse *amorem bonorum proximi*, quò pertineat, quicquid in Decalogi 7. 8. & 9. præcepto jubeatur & prohibeatur. His octo gradibus addi posse *nonum*, scilicet *amorem cujusvis creaturæ seperatim consideratæ*, ut in ordine suo, quantum in nobis sit, conservetur, ad quem ordinem ritè observandum vires totius naturæ & singularum creaturarum usum ac finem naturalem scire ac cognoscere deberemus, quam summam cognitionem in Adamo amissam licet assequi non possimus, attamen, quantum in nobis est, eò niti & nullam creaturam ex ordine suo turbare debeamus.

§. 82. Effectum ergò juris naturæ nihil aliud esse concludit in §. 21. quàm obligationem & instinctum, constringentem & dirigentem omnes creaturas ad ordinem naturæ servandum & non perturbandum, cùm nulla lex propriè dicta sit sine obligatione. Ergò contra jus naturæ peccari, si quis de arbore fructus plantasve demat, & non ad usum à natura destinatum abrumpat: si volucres, pisces aliave animalia extra ordinem naturæ necet. Et verum adeò esse, hominem etiam in bruta delinquere & injuriosum esse posse. *Prov. 12. v. 10. Deut. 22. v. 1. 4. 6.*

§. 83.

§. 83. Ab hac Viri Excellentissimi hypothesi de ordine naturæ tanquam fundamento juris naturæ dissentit *Exc. Thomasius*, Socialitatem pro principio agnoscens, adeòque dubia sua contra dictam hypothesin *in Dissert. de Fundamentorum definiendi causas matrimoniales hactenus receptorum insufficientia, hab. Halæ 1698.* placidè aperuit, quæ ad supplendam historiam hîc etiam inseremus, ut benevolus Lector statim rationes & fundamenta, quibus utraque pars nititur, in promptu habeat. præliminariter dicit, §. *32. 33.* illam sententiam, *quæ in dictatu rationis jus naturæ quærit*, non posse dici periculosam & absurdam, cum dictamen rationis rectæ, non corruptæ, adhiberi debeat, hoc autem ex necessaria connexione & repugnantia cum socialitate humani generis facillimè dijudicari & illa necessitas vel repugnantia etiam corruptissimo homini evidenter ostendi possit. Unde & ipse Paulus jus naturæ cordibus hominum inscriptum esse asserat.

§. 84. Ipsum principium de ordine naturæ ideò admitti non posse dicit §. *34. seqq.* quòd nec *verum*, nec *adæquatum*, nec *evidens* esse videatur. Prædicari enim illum ordinem non de homine solùm, sed de omnibus quoque reliquis creaturis. Jam verò certum esse, quod creaturæ ratione carentes non obligentur, adeòque etiam jus aliquod in illas cadere non possit, cum omnia ex necessitate & impetu agant! Dicere quidem Salomonem *Prov. 6. v. 6. 7. 8.* de formicis, & Virgilium *l. 4. Georg.* de apibus, quod miranda agant; Verùm & formicas & apes agere voluntatem Dei ex naturali impetu sine cognitione Legislatoris, quod ultimum tamen necesse sit, si aliquis propriè secundùm Legem egisse dicatur. Deinde etiam non esse adæquatum hoc principium, (§. *41.*) quia non omnis ordo est jus naturæ, neque omne, quod ordini naturæ adversum est, juri quoque naturæ repugnat. Primum, scilicet, quod non omnis ordo sit jus naturæ, fluere ex modò dictis, quatenus videlicet omnis ordo naturæ creaturarum intra hominem ad legem & jus propriè dictum non pertineat. Secundum autem, non omne, quod ordini naturæ adversum est, simul etiam juri naturæ repugnare, facilè monstrari posse. Ordinem enim humanum e. g. postulare, ut cibô per os in stomachum assumtô corpus nutriat, excrementa per partes posticas ejiciat, &c. & tamen non repugnare juri naturæ hominem per clysteres nutrire, per vomitum excrementa ciborum ejicere, &c.

&c. licet hoc ordini illi è diametro contrarium sit. Denique nec evidens ait esse hoc principium, cum difficulter ostendi possit, hoc repugnare ordini naturæ, ergò esse jure naturali prohibitum; illud promovere ordinem naturæ, igitur esse præceptum. Illustrat hoc ex ipsa rei indole, quia nondum nescimus, quot partes homo habeat, quid sit animal, corpus, spiritus, in genere, & quia dissentientes ipsi fatentur, *obscuram esse homini & parùm cognitam naturam reliquarum creaturarum*; item: *difficile esse exprimere, quâ ratione circa actiones naturales rectè sese gerere debeat homo ob depravatam per lapsum primorum parentum cognitionem rationis humanæ, ut usum ac ordinem omnium creaturarum non nisi per umbram quasi aliquatenus cognoscere possimus.*

§. 85. Porrò: Etsi facile concedatur, *amorem esse unicum naturæ vinculum*, tamen illum non propriè dici posse de creaturis infra hominem existentibus, quæ tamen nihilominus ex hypothesi ordinis naturæ etiam juris naturæ capaces esse debeant. Si verò intelligatur amor tanquam solius hominis affectus, tunc non tradi jus naturæ, sed Gentium, (ex illa scil. hypothesi,) imò ipsum amorem nihil aliud esse, quàm ipsam socialitatem, quippe quæ sine mutuo amore & mutua benevolentia concipi nequeat. Nihil ergò novi adductum fuisse, nisi quod jam anteà Cicero, Grotius, Pufendorffius & alii dixerint.

§. 86. Denique in octo istis gradibus amoris recensitis nil nisi amorem hominum fuisse adductum, ostendere intendit §. 50. *seqq.* quæ omnia huc transscribere nimis tædiosum foret. Putamus enim ex jam adductis facile perspici posse, in quonam status controversiæ consistat, & quæ utriusque ex Dnn. Dissentientibus sint fundamenta. Videri potest ipsa Disputatio, quæ in omnibus manibus est, ubi circa finem hujus controversiæ §. 77. adjicitur, ex hypothesi de ordine naturæ dubias reddi posse sententias circa moralitatem actionum, de quarum moralitate nemo dubitet. E. g. an liceat vinum bibere jure naturæ? cum vinum sit res arte facta & ante Noachum ex ordine naturæ homines aquam potaverint, contra quem ordinem vinum introductum sit. An liceat navigare? quod pariter contra ordinem naturæ esse videatur, cum homo in terra degere, non aquam transire debeat. An liceat lapidem sursum projicere? quod ideò contrà ordinem naturæ esse vide-

tur, quia lapis, ut omne aliud corpus grave descendit. &c. Nos judicium nostrum jam suspendimus. Historicè saltem rem proponimus.

§. 87. Dn. *Joh. Franc. Buddeus, S. Theol. Lic. & Profess. Philos. mor. in Acad. Frid. celeberrimus, in Elementis Philosophiæ practicæ* ante paucos annos publicatis, agnoscit quidem *Socialitatem* pro principio genuino, ex quo officia hominum ergà se invicem optimè deduci possint, sed officia hominum ergà Deum & ergà se ipsos exinde hauriri posse negat. Hinc tria ipsi nascuntur juris naturæ principia, *primum* respectu Dei, *Deum cole; secundum* intuitu sui ipsius, *Temperanter vive, & tertium* respectu aliorum hominum, *Socialiter vive.* Cum hoc quoad numerum illum ternarium convenit etiam Vir Consultissimus, *Dn. Lic. Joh. Christianus* Müldener/ jam Potentiss. Regis Poloniæ Consiliarius, in Disp. inaugurali *de juris naturæ definitione & fundamento*, Erffurti A. 1692. habita & A. 1698. Halæ iterum recusa. Aliter tamen secundum præceptum effert, scilicet hæc tria juris naturæ principia ponit: *Deum cole, Philautiam exerce & Socialitatem cole*, quæ in fine à Deo in creatione hominum intento latere dicit.

§. 88. Venio ad Illustrem *Dn. Henricum Coccejum*, Consiliarium Brandenburgicum & Professorem Francofurtanum longè celeberrimum, Virum in omni veræ Eruditionis genere versatissimum & encomio nostrô longè majorem, qui *in Disput. de Principio juris naturalis unico, vero & adæquato, hab. Francof. A. 1699.* mentem suam hac de re aperuit. Ipsa Disputatio in duas partes dispesci potest, in cujus altera adstruitur, *voluntatem Dei verum, solum & unicum juris naturæ & obligationis esse principium, §. 9. & 28.* in altera autem contra Pufendorffium præcipuè disputatur & fundamentum juris naturæ ab ipso positum, Socialitas scilicet, impugnatur.

§. 89. Prodierunt contra hanc Dissertationem aliqua, ab Autore der monatlichen Außzüge Mense Julio MDCC. communicata sub num. IV. rubr. von vornehmer Hand sind einige Anmerckungen den Ursprung des Rechts betreffend eingesendet worden/ ex quibus illa, quæ propositionem fundamentalem juris naturæ concernunt adeoque ad scopum nostrum & supplendam historiam faciunt, inserere, non inutile erit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [74] - 58

„erit. Ita autem Anonymus §. 6. Queritur deinde (Dn. Coccejus,) „utrum cuſtodia ſocietatis humanæ ſit principium juris. Id negat Vir „egregius contra Grotium, qui ſocietatem, Hobbeſium, qui mutu„um metum, Cumberlandium & ſimiles, qui mutuam benevolentiam; „& ſtatuit principium juris naturæ adæquatum eſſe juſſum Creatoris „§. 9. nam id principium debet tale eſſe §. 10. ut omnia juris naturæ præ„cepta inde ultimò per legitimam conſequentiam inferri poſſint. Re„ctè: Sed talis (inquit §. 11.) eſt voluntas Creatoris Hanc autem „omnes obligare ita probat §. 12. *quia Creatoris abſolutum eſt in creaturas ſu„as imperium, quippe quam potuit creare, vel non creare, & quacunq; placuit le„ge creare. Et cum in confeſſo ſit Creatoris omnipotentia, nihil certiùs eſt, quàm „eum, qui poteſtatem in omnia habet, etiam eam in hominum actiones habere, easq; „ſuo arbitrio legibus coercere poſſe.*

§. 90. Sed mihi (ita pergit Anonymus) hîc multa monenda „occurrunt. Primùm iſtam propoſitionem probare oporteret, crea„turam creatoris voluntate obligari. Nam ſi fingeretur, creaturam „tantarum virium eſſe poſſe, ut à Creatore ſemel producta, deinde „non poſſet cogi, habenda eſſet pro manumiſſa, uti liberi eô poſſunt „pervenire potentiæ, ut à parentibus, à quibus generati ſunt, cogi non „poſſint: Vir autem clar. à ſola coactione jus videtur derivare. Ut er„gò generatio, ita & creatio jus non dabit, ſed potentia. Miſsâ igitur „Creatoris denominatione, in Deo omnipotentia, vel ſaltem ſumma „nocendi juvandique poteſtas ſupererit; & ideò Cl. Autor diffiſus, ut „videtur, qualitati Creatoris, omnipotentiam adjunxit. Quanquam, „ut obiter notem, apud ipſum à ſola ſumma nocendi poteſtate, ſepo„ſitâ facultate juvandi, ut infra patebit, jus ſit petendum. Nam ju„ſtum putat id ſolum, ad quos aliquis per pœnas cogi poteſt: id vero „ad quod quis impelli ſolet præmiis, refert ad virtutem; negat autem „nos ad virtutem obligari: contra quam etiam veteres Ethnici, ni fal„lor, ſenſere. Sed, ſi omnipotentia, & maximè, ſi nocendi pote„ſtas (cujus gratiâ Diabolum adorare dicuntur quidam populi) ſuf„ficit ad jus conſtituendum, recurrendum erit ad principium tyran„nicum, quod apud Platonem urget Traſymachus, juſtum eſſe, quod „potentiori placet. Nec abhorret Hobbeſius, qui jus in potentia fundat.

„Itaque si fingeretur, Deum quendam esse malum, qualem Manichæi „introducebant, potentia ejus sufficeret ad pessima quæque justa red„denda, quod nostris de noturali jure notionibus repugnat.

§. 91. Periculosa etiam alia (addit Anonymus) ex his dogma„tibus consequuntur, qualia à quibusdam minus circumspectè jam„dudum sunt jactata, veluti: nullam esse ipsius Dei justitiam, nam „si jus nihil aliud est quàm jussum Creatoris, vel ejus, qui potentiâ suâ „cogere potest, manifestum est in ipso Deo justitiæ rationes cessare, „cum cogi nequeat; & posse eum jure damnare innocentem, beare „sceleratum, quibus admissis in justitiæ consideratione restabit timor „Dei, amor cessabit.

§. 92. Alia ergò sublimiora & meliora juris principia quæren„da sunt, non tantum in voluntate divina, sed & in intellectu, nec tan„tum in potentia Dei, sed & in sapientia. Et justitiam constituet non „voluntas quævis potentis, sed bona voluntas, seu benevolentia sa„pientis. Unde justitia nuper à quodam JCto definita est: Caritas sa„pientis, ut Virtus ab Aristotele mediocritas prudentis. Et si fingere„tur, (quod impossibile est) malum quendam genium summam rerum „potestatem habere, non ideò, quod irresistibilis esset, desineret ille „malus esse, & injustus & tyrannus: & justæ superforent querendi „causæ, etsi querelæ irritæ essent. Hæc, ni fallor, communi hominum „sensui sunt consentanea.

§. 93. Quod si tamen aliter aliquis jus & obligationem accipiat, „pro eo scilicet solo, quod præmiis pœnisque extorqueri potest, fateor „jus fore, quod potentiori placet, & feliciter tamen in Deo evenire, „quod, qui potentissimus est, idem sapientissimus reperitur. Sed ita „nulla erit per se justitiæ norma ex natura rerum veritatibusque æter„nis: aliterque justum naturaliter accipietur, quam solet. Cum ta„men præstet, ni fallor, in rebus tanti momenti à recepto verborum usu „non recedere. Interim Vir Egregius debebat, ni fallor, dare defini„tionem juris & obligationis, cum statim §. 1. à se quæri dicat princi„pium obligationis, per quam quid intelligeret, alicubi expositurum „expectabam. Quanquam quod expressa definitione non explicat, „reapse satis indicet, nempe solo coactionis metu obligationem juris

con-

„constare. Sed, si voluntas cogere potentis sufficit, non est, cur in Le-
„gislatore supremo bonitatem exigamus. Sin verò volumus, ut Le-
„gislator etiam benignitatem ergà subditos suam ostendat, jam altius
„voluntate principium juris & justitiæ stabilimus. Nisi fortè eò deve-
„niat aliquis, ut bonitatem etiam apud Deum arbitrariam putet, imò
„quod hinc sequitur, cum Cartesianis quibusdam veritatem ipsam ar-
„bitrio Dei factam velit, & quaternarium parem esse, quia Deus jussit;
„quibus positis ipsa Dei existentia res arbitraria foret, periitque frons
„de rebus.

§. 94. Fateor equidem (pergit) humanæ societatis custodiam
„non esse principium justitiæ. Nam est etiam cum Deo societas nobis,
„quæ humanæ prævalere debet. Sed tamen putem justum esse, quod
„societatem ratione utentum perficit. Quod verò objicitur §. 16. so-
„cietatem utilitati suæ renunciare posse, nihil aliud est, quam Legisla-
„torem insipientem posse ferre leges ineptas & iniquas. *Quærit, quæ*
„*vis obliget homines, ut utilitati veræ studeant?* quasi vi opus sit, ut aliquid
„justum fiat, aut ut quod amabile est, ametur; aut quasi aliquid ma-
„gis invitare nos possit, quam expetitio boni aut vitatio mali, quæ fa-
„cit etiam, ut superiori pareamus. Quæ porro objiciuntur, eos feriunt,
„qui jus solâ humanâ societate hujus vitæ definiunt, ut Pufendorffius
„& similes, non eos, qui rem referunt ad perfectionem societatis divi-
„næ humanæve in universum.

§. 95. Conciliabitur sententia Eximii Viri cum nostra, si per
„jussum Dei intelligatur jussum supremæ rationis, quoniam, ut ipse
„citat ex Hierocle in aureum Pythagoræ carmen, idem est rationi pa-
„rere ac Deo. Supremæ autem rationis est id agere, ut boni quantum
„plurimum potest, & in quamplurimis obtineatur & tantum diffunda-
„tur felicitas, quantum ratio rerum ferre potest: Sin contra, Deum
„(quod absit) ponamus potentiam ita despotico exercere arbitrio, ut
„nihil curet creaturarum intelligentium felicitatem, aut non intelli-
„gentium decorem; nec sapiens, nec bonus erit, nec, ut hactenus ju-
„stitiæ notio habita est, justus. Quæ doctrina absoluti adeò placiti, ut
„sapientiæ aut bonitatis lege non regatur, illa ipsa est, qua Reforma-
„tis rigidioribus (sed plerumque meo judicio iniquè) imputata, factum

„eſt, ut tantoperè ab iis, tanquam divinæ bonitatis & juſtitiæ hoſtibus, „adverſarii abhorrerent. Ita etiam Eccleſiæ Proteſtantium communis „intereſt, dogmata, quibus juris fundamenta conſtituuntur, ad ſani „ſenſus formam explicari.

§. 96. Deum eſſe omnis naturalis juris autorem, (quod ait §. „41.) veriſſimum eſt, at non voluntate, ſed ipſâ eſſentia ſua, qua ra„tione etiam autor eſt Veritatis. Interim uti Atheus poteſt eſſe Geo„metra, ita Atheus Jureconſuttus eſſe poſſet, nec abſurdè ſtatuit Gro„tius intelligi Jus naturæ, etſi fingatur Deus non eſſe. Rectiſſimè au„tem idem Grotius Jura naturæ in intrinſeca bonitate ac turpitudine „conſtituit, quicquid contradicat Pufendorffius ſententiæ, cui à Viro „docto & prudente contradici potuiſſe miror. Uti proportionum & „æqualitatum, ita & æquitatis & convenientiæ regulæ æternis rationi„bus conſtant, quas violare Deum & jubere aliquando, ut aliquis ſo„lius voluptatis ſuæ causâ (exempli gratiâ) alios homines inno„centes cruciet, impoſſibile eſt. Et parum dignum Deo eſt, „parum dignum gravitate docentis, hoc uti effugiô, ut Deus „eum, cui talia aliquando ſcelera permiſſurus ſit, ab æterno à juſſu ſuo „excepiſſe dicamus, §. 43. ut tale factum ſcilicet hoc ſolô, quia exce„ptum eſt, ſcelus eſſe deſinat. Rectius dicemus, quæ à Deo permit„tuntur, aut jubentur, in iis aliunde ipſam malitatis rationem ceſſare, „ut cum Hebræi vaſa Ægyptiorum abſtulêre: quis enim neget, Deum „eſſe Dominum rerum, & auferre Ægyptiis omnia, Iſraelitisque dona„re potuiſſe. Et inceſtum inter fratrem & ſororem abſolutè malum „eſſe non eſt dicendum, ſed in liberis Adami ipsâ ratione naturali per„miſſum. Ratio enim non minus diſpenſatione utitur, quam Deus. „Uti detegi, quæ natura tegi jubet, turpe non eſt, ſi ſalutis causâ fiat. „Ceſſat ergò crimen, non nuda Dei excipientis diſpenſantisque volun„tate, ſed ſublata prohibendi ratione.

§. 97. Præclarius ipſe Cl. Autor diſſerit, cum ait: *Actus natura* „*ſua alios aliis eſſe meliores, ut docere præſtantius eſt, quam veſtem facere, & ma„jorem perfectionem virtutis nomine venire.* Et §. 47. Cum Deus „Ens ſit perfectiſſimum & perfectiſſimus bonorum largitor, ſequi quo „perfectio quid agitur, eò magis ei placere, largiusq; eſſe remuneratu-

rum

„rum. Sed hinc ſequitur pefectionem potius & pravitatem „actuum intrinſecam, quàm voluntatem Dei juſtitiæ fontem, „eſſe. Nam quæ ratio facit, ut alius actus alio ſit ſua natura „perfectior, facit etiam, ut aliquis actus ſit ſuâ naturâ pravus, qui ſcili- „cet perfectiones deſtruit aut imperfectiones inducit. Et ſi, conce- „dente Dn. Authore, ex natura actuum venit, ut præmium merean- „tur, etiam ex natura actuum veniet, ut pœnam mereantur, adeo- „que debeant prohiberi, neutrum ergo oritur à ſola voluntate. Mi- „rum igitur eſt Cl. Autorem in actibus arbitrio hominum relictis, dif- „ferentiam bonitatis naturalem agnoſcere, &, ut ſic dicam, jus natu- „ræ à juſſu Dei independens, at in juſſis aut prohibitis non agnoſcere, „cùm in his appareat multò magis; & vel ideò actus ſunt juſſi prohibi- „ve multò magis, quia præ aliis boni malive ſunt; non contra boni „malive, quia juſſi aut prohibiti ſunt.

§. 98. Et quod eodem (ita ſubjungit Anonymus) §. 47. addit, „*nullos alios actus ob perfectionem Deo placere poſſe, felicitatisq; præmia ab eo expe-* „*ctare, niſi qui hominum arbitrio relicti ſunt, quia, qui neceſſitate præcepti impul-* „*ſus agit, in eo nulla virtutis & perfectionis ratio ſit:* hæc valdè miror dici po- „tuiſſe. Quaſi ſcilicet juſſus ob ſolam præcepti neceſſitatem pœnæque „metum, & non potiùs liberrimo animi ad bonum tendentis niſu agat, „lege magis admonente, quàm impellente. Hoc ſcilicet eſt, quod „Scriptura Sacra ait: juſto legem non eſſe poſitam. Et poſtquam Lex „ipſa juſſit, Deum ſuper omnia & totis viribus amari, proximum ve- „ro ſicut nos ipſos, non video quænam actio bona arbitrio noſtro re- „licta intelligi poſſit.

§. 99. Ceternm (concludit) humanô jure poteſt aliquid lici- „tum eſſe, quod non ſit honeſtum; divino & naturali jure non poteſt, „etſi §. 49. contrarium defendi videatur. Unde valdè mirum dictu „eſt, quod habetur §. 50. lege naturæ non compelli homines ad exer- „cendas virtutes, contra doctrinam hactenus receptam, quæ juſtiti- „am univerſalem omnes in ſe virtutes comprehendere notat apud Phi- „loſophos. Et omnium, ni fallor, Theologorum ac pietatis ſtudio- „ſorum conſenſu, qui inutilis eſt, non tantum præmio carebit; ſed „& pœnam ſentiet, & Chriſtus dixit, arbores, quæ fructum non fe-

runt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [79] - 63

„runt, cæsas in ignem conjici. Unde vulgò inter peccata mortalia „acediam, quam vocant, torporemve in bono, numerare solent. „Ex quibus satis intelligitur, Cl. Autorem dissertationis aliô planè, „quam hactenus, sensu vocabula usurpare; quasi jus in iis tantùm sit, quæ vi quadam & pœnarum necessitate extorquentur, cum contra alis sapientibus ipsique scripturæ sacræ tanto quisque justior habeatur, „quanto minùs metu aut mercede, quanto magis ipsa præclararum „actionum jucunditate commovetur.

§. 100. Hactenus Anonymus ille, qui utrum mentem acutissimi JCti circa ea, quæ spectant ad propositionem fundamentalem juris naturæ & principium voluntatis divinæ, rectè perceperit, valdè dubito. Plurima enim, quæ in contrarium affert, hypothesin scholasticam de sanctitate Dei ejusdem voluntati oppositа, nec non de perfectate actionum sapere videntur. De cujus hypotheseos fundamento alii egerunt. Nostrum non est, hisce excutiendis insistere, sed ad scopum nostrum sufficiet, si modò mentem Pufendorffii de principio socialitatis aliquantulum declaremus, ut B. L. eò melius videre possit, in quonam dissensus principaliter consistat, & quibus argumentis utraque pars nitatur.

§. 101. Putamus autem, quantum ad principium de voluntate divina attinet, inter Virum illustrem & Pufendorffium quique hujus hypothesin sequuntur, nullam prorsus esse litem, sed suavem potius harmoniam. Pufendorffio enim aliisque nunquam tale jus naturæ in mentem venit, quod aliunde, quàm à voluntate sanctissimi Creatoris originem suam duceret, sed ubique eam voluntatem & exinde fluens præceptum. *Deo pare*, tanquàm principium primum Jurisprudentiæ divinæ in genere supponunt. Hinc tot eorum disputationes contra Scholasticos, qui sanctitatem Dei ejusdem voluntati opponentes, ex illa, non ex hac, Leges naturales derivandas esse nugabantur, *(v. suprà §. 69.)* Cum autem extra omne dubium sit, hominem duplici modô voluntatem divinam *cognoscere*, scilicet *per lumen rationis* & *revelationis*, non immeritò jam ulterius quæritur: *in quantum & quatenus voluntas illa divina per lumen rationis.* (Lumen revelationis enim huc non pertinet, quippe quò destituuntur Gentiles, quos nihilominus tamen jus naturæ obligat) *in jure naturæ cognosci & quilibet homo de injustitia actionis*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [80] - 64

nis suæ, quod nempe contra voluntatem Dei eandem patraverit, convinci possit? Hîc Pufendorffius ejusque sequaces asserunt, non posse alicui ex solo rationis lumine injustitiam actionis suæ, quod illa voluntati divinæ adversetur, ulterius demonstrari, nisi in quantum illa tranquillitatem externam i. e. socialitatem turbat. Probant id facilè exinde, quod status mutui belli nil nisi destructionem hominum inferat, à qua tamen quilibet abhorret, qua propter ex opposito mutua pax omninò observanda. Suffragatur ipsa experientia, neminem, nisi præfractæ malitiæ hominem, negare aut negare ausum fuisse, quod ea, quæ externam pacem turbant, cum voluntate Dei consistere possint.

§. 102. Patet ergò Socialitatem non venditari *pro principio ultimo*, sed *voluntati Dei subordinato*, aut quod clarius est, *pro principio cognoscendi & demonstrandi voluntatem divinam ex lumine rationis.* Unde sicut non opus est, ut hoc principium *ultimum* esse probent ejus defensores, ita nec eorum mens accuratè loquendo hæc est, ac si *ex custodia socialitatis homines obligentur*, sed *ex voluntate Dei homines ad custodiam socialitatis obligari*, & licet ex jure revelato ad longè plura adstringantur, *hucusque tamen in jure naturæ voluntatem Dei solummodò cognosci posse* dicunt. Ex quo simul fluit, homines custodiæ humanæ societatis renunciare neutiquam posse. Renunciatio fieri potest, quoties Lex aliquid saltem permittit, non quando præcipit. At verò custodia socialitatis jure naturæ omnibus hominibus præcipitur. Sed à quo præcipitur? A Deo. Ergò principium obligationis in solo Deo est? Utique, & *principium socialitatis nihil aliud est, quam propositio, sub qua reliqua præcepta Juris naturalis omnia, tanquam sub communi axiomate comprehenduntur, ipsum autem ista duo, Deo & imperanti esse parendum, tanquam generaliora præsupponit.* Quamvis verò utilitas totius humanæ societatis temporibus & locis variare possit, ipsum tamen jus naturæ propterea non variat, cum utilitas socialitatem & pacem externam turbans non sit utilitas, atque adeò eadem socialitati semper subordinata esse debeat. Tolli denique hac ratione differentiam inter jus naturæ & jus Gentium positivum, contrà Pufendorffium adduci non potest, qui ejusmodi jus Gentium positivum juri naturali contradistinctum non agnoscit, *de Jur. N. & G. l. 2. C. 3. §. 23.*

§. 103. Fateor quidem, ex principio socialitatis non posse de-

duci,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [81] - 65

duci, quod e. g. inceſtus, Sodomia, ſcortatio, &c. ſint crimina horrenda, qualia ea eſſe lumen revelationis nobis oſtendit; Sed exinde non ſequitur, illud principium non eſſe verum aut adæquatum, ſed illud tantum colligitur, lumen rationis maximâ imbecillitate laborare, & longè plura in jure divino prohiberi, quam quæ ex jure naturæ tanquam illicita deduci poſſunt. Non tamen exinde quoque concludi valet, *adulteria eſſe licita*, utpote quæ ſocialitatem & pacem quàm maximè turbant. Nec ita arguendum: ex ſocietatis humanæ cuſtodia æque *inferri poſſe*, quæ turpia ſunt; Quæ enim *inferuntur* ex aliquo principio, illa præcepta eſſe putantur. Abſit verò quod ex ſocialitatis cuſtodia inferatur, Sodomiam, inceſtum, &c. debere committi. Habentur hæc crimina pro permiſſis jure naturæ, non pro præceptis.

§. 104. Nec cuſtodia ſocialitatis humanæ exinde impugnari poterit, quod fortè Rex aliquis viribus ſuis ſatis potens nihilque potentiæ humanæ veritus, qui alteri injuriam parat, cogitet, *eam ad ſe nihil pertinere, quia eâ non indigeat, omniq; illius ſocietatis præſidio ac utilitati renunciet.* Quis enim ex illo, quod homines de facto ſuſcipiunt, jura ipſa metiri vellet. Quotusquisque eſt, qui nec Deum, nec homines ſe curare dicit, an verò propterea voluntas Dei & Superiorum principium inadæquatum dicendum? Neque etiam in cujusvis, nec potentiſſimi Regis, arbitrio eſt, ut ſocialitati communi renunciare valeat, ad quam colendam juſſu Dei obligatur. At verò principium ſocialitatis neminem ponit ſuperiorem? Imò ponit ſuperiorem, Deum. Et licet Grotius homines ad obſervanda juris naturæ præcepta obligatos eſſe cenſeat, etiamſi ponamus, Deum non exiſtere; hoc tamen nihil aliud fuit, quàm floſculus Scholaſticorum, qui Viro Summo excidit, quem tamen neque Pufendorffius, neque alii approbârunt.

§. 105. Quod ſi alia planè conditio eſſet naturæ humanæ, quam illa nunc eſt, Socialitas quidem pro principio agnoſci non poſſet; ſed Pufendorffius non quærit, quid ſuppoſitô aliô atque aliô ſtatu obtineret, ſed quid ſuppoſitâ præſenti conditione humana pro juſto aut injuſto reputandum. Deinde quod officia inter Deum & homines concernit, illa non deducuntur ex jure naturæ, ſed anteà jam ſupponuntur, *(v. ſuprà §. 87.)* Officia inter Angelos & homines jus naturæ ignorat,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [82] - 66

rat, quia ratio Angelos existere nescit. Ergò etiamsi ponamus, inter Deum & homines non esse societatem, (quod tamen affirmatur) pariter inter Angelos & homines, inde tamen nondum sequeretur, ergò nec custodia socialitatis inter homines juris naturæ norma esse potest. Homines enim vivunt in societate & inclinant ad eandem. Vivit quoque Eremita in hac societate, quamdiu humanam naturam retinet, etsi societate actu ipso non fruatur. Et hinc etiam obligatur, ut alii, ne aliquid contra societatem admittat. Latronum collegia non sunt extra humanam societatem, sed intra eam, & faciunt quidem, quæ societas eorum particularis requirit, sed eô ipsô contra socialitatem communem peccant. At renunciarunt tamen societati communi; R. Atqui hoc facere non potuerunt, ut jam anteà dictum. Denique jura naturæ omnibus animantibus communia, quæ tamen cum homine in societate non vivant, non agnoscit Pufendorffius, adeòque ipsi hac parte nihil obmoveri potest.

§. 106. Tandem & hoc monendum, non pugnare inter se, quando Pufendorffius omnia juris præcepta *ultimò* à socialitate deduci posse, & tamen necessum esse, Deum præsupponi, asserit. Aliud enim est *principium absolutè ultimum*, aliud in *certo genere tale*. Ad cujus posterioris speciem socialitas referenda, quæ est ultimum ratione præceptorum juris naturæ, aliud verò absolutè ultimum, Deo scilicet parendum esse supponit. Quæ observatio alia quoque dubia quoad Pufendorffii assertiones obvenientia tollere poterit. Denique Pufendorffius concedit quidem, Deum plura etiam, quàm custodiam socialitatis, ab hominibus requisivisse; Sed tamen plura officia, quàm quæ ad custodiam illam faciunt, *jure naturæ* requiri, simul negat, idque exinde, quia ratio sibi relicta tàm cœca, tàm imbecillis est, ut ad altiora ascendere nequeat, sed contenta sit, modo crassa illa & externa vitia evitentur.

§. 107. prodierunt equidem plurimæ adhuc Dissertationes & Tractatus minores, materiam juris naturalis illustrantes, quò refero *Joh. Jac. à Rysel de jure naturæ & Gentium: jus agendi moraliter delineatum à G. Telo, H. in* Schönermarck: *Anonymi* allgemeines Völcker-Recht / qui Tractatus anteà etiam Latinè prodiit sub Titulo: *Juris & judicii fecialis, sive*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [83] - 67

juris inter Gentes & quæstionum de eodem explicatio, operâ R. Z. (Richardi Zouchei:) Heinrich Wilhelm Graßhoffs *de jure hominis Dissertatio:* Johann Wolfg. *Textoris Synopsis juris Gentium: Henrici Uffelmanni de jure, quô homo homini in sermone obligatur, liber unus:* (ubi præcipuè contra reservationes Jesuitarum mentales pugnat:) *Joh. Frid. Krebsii Morum & juris scientia universalis: Ad. Rechenbergii Lineamenta Philosophiæ civilis: Gœdhardi Borgesii Enodatio juris naturæ, s. de officiis nostris ergà Deum:* Christiani Röhrensee *Diss. de Fundamento juris naturæ,* (qui ex Justitia & Sanctitate Dei jus nat. deducere conatur) *M. Dan.* Ringmachers *Dissert. de offic. hom. ergà Deum,* &c. Verùm enim verò omnes hos & singulos evolvere & percurrere nobis partim per temporis angustiam non licuit, partim quoque illud supervacuum fore credidimus, quod nihil novi inibi reperiatur, sed hypotheses hujus illiusve assumi aut refutari soleant. Alios studiô omisimus, quod eos ad scopum nostrum directò non spectare credidimus. Sequitur ergò

HISTORIA JURIS DIVINI POSITIVI UNIVERSALIS.

§. 108. Hanc autem brevissimis absolvemus. Interim ita tenendum. Scholastici, & qui eos sequebantur Theologi etiam Protestantes, ubi de Legum divisione agebant, eas in Leges *morales, ceremoniales & forenses* dispescebant, ita ut sub nomine *moralium,* & Leges naturales & divinas positivas universales comprehenderent. Lex enim moralis, naturalis & Decalogus plurimis synonyma erant. Testantur de hac divisione Compendia Theologica, & in specie, quæ mihi nota sunt, Compendium Hutteri & Institutiones Dieterici. Eodem res recidit, quando alii ita procedunt, ut jus divinum in *morale & positivum* dispescant; Sub nomine enim juris positivi ipsis merum jus particulare, ceremoniale scilicet ac forense Judæorum venit, adeoque ad morale non modò jus naturæ, sed & quicquid in Decalogo aliisve Scripturæ locis Legum positivarum universalium habetur, juxta eos pertinet, quâ ratione adhuc etiam procedit *Vitriar. Instit. Jur. nat. & Gent. l. 1. C. 1. qu. 7. seqq.* Et hoc ipsum fuit in causa, quare olim Scholastici circa decidendas controversias ex Jure naturæ tam confusè procederent, de quo dictum supra §. 19.

§. 109.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [84] - 68

§. 109. Ignorabant ergò jus divinum positivum aliquod, juri naturæ contradistinctum quidem, nihilominus tamen pariter ut hoc omnes homines obligans. Interim sine dubio est, reperiri in S. Scriptura Leges quasdam, quæ ex sola ratione humana (quâ Jus naturæ nititur) deduci nequeunt, & quæ nihilominus omnes Gentes obligant. Quis enim solam concupiscentiam, quatenus in exteriora non prorumpit, ex lumine rationis injustam esse demonstraret? & verò hæc in præcepto nono & decimo Decalogi severè interdicitur, & omnibus sine dubio hominibus interdicitur. Quis gradus *Levit. 18.* prohibitos esse doceret ex jure naturæ, & tamen illam prohibitionem omnes gentes stringere contextus docet. Vicissim Decalogus & Lex naturalis pro Synonymis & ideò haberi non possunt, quia præceptum tertium de septimo die seu Sabbatho sanctificando, est præceptum particulare, Judæos solum stringens & adveniente Christô sublatum; Jus naturæ autem universale est & immutabile.

§. 110. Sensit ergò insufficientiam communis doctrinæ ut alibi, ita & in hac parte Magnus *Grotius*, adeoque in divisione juris divini, jus naturale juri universali, quod voluntarium vocat, contradistinxit, *de J.B.& P. l.1.C.1.* §. *15.* Et licet à nonnullis ejus Commentatoribus hæc distinctio impugnata fuerit, videlicet ab *Ostandro ad d.* §. *15. Grotii Observ. 1. & Velthemio Introd. ad Grot. l. 1. c. 1.* §. *29. not. 3. seqq.* Alii tamen Viri eruditi eam non sine fundamento prolatam esse agnoverunt. Referri huc potest *Zieglerus ad Grot. l. 2. C. 5. §. 9.* ubi ex jure divino positivo prohibitionem Polygamiæ deducit, licet quadantenus adhuc fluctuare videatur: *Dn. Henniges ad Grot. in proleg. p. 4.* & præ aliis *Kulpisius*, qui peculiari tractatu se probaturum promisit, quod ejusmodi Lex reverà detur & à Lege naturali distincta sit, *in Colleg. Grot. ad l. 2. C. 5. th. 6. lit. r.* promissum tamen hocce suum cum magno rei literariæ damno in effectum dare non potuit, postquam deinde ex Academia pedem retraxit & negotiis Aulicis ad mortem usque occupatus fuit.

§. 111. Fortè jam ulterior inquisitio in hanc divini juris speciem prorsus iterum neglecta fuisset, nisi controversia, cujus supra §. 56. mentionem injecimus, contrarium suasisset. Scilicet sustinebat Lyserus Polygamiam de jure naturæ non solum esse permissam, sed præceptam quoqve, adeoque omnes homines ad ducendas plures

uxores obligari, cum non meliori, quam hoc quidem modò opus Domini perfici possit, & verò scriptum reperiatur, *quod is sit maledictus, qui opus Domini negligenter facit.* Scripserant quidem plurimi contra hunc Lyserum, modò sub *Sinceri Wahrenbergii*, modò *Theophili Alethæi* larvâ prodeuntem, e. g. *Feltmannus, Diecmannus, Brunsmannus, Musæus, Christianus Vigilis, Slüterus, &c.* sed quia plurimi, si non omnes, armis tantummodò stramineis instructi erant, id est, quia nil nisi perseitatem Scholasticam aliasque nugas crepabant, refutatione suâ nil quicquam efficiebant, præterquam quòd Lysero (ut creditur) occasionem suppeditarent, sub nomine *Athanasii Vincentii Polygamiam triumphatricem* scribendi, & non absque causâ de profligatis tot inermibus hostibus triumphum canendi.

§. 112. Ergò tandem aliquando & ob hanc causam Viri prudentes, etiam Theologi, imbecillitatem rationis humanæ agnoscere & Leges revelationi divinæ superstructas omnes tamen Gentes obstringentes, à Legibus naturalibus solam rationem pro fundamento agnoscentibus, liquidò discernere incipiebant. Inter Theologos in primis laudandus *Schertzerus*, qui ἀνομίαν concupiscentiæ ex lege naturæ agnosci non posse, sed ad ostendendam hujus, pariter ac Polygamiæ aliorumque criminum moralitatem ad Legem aliquam positivam recurri debere asseruit in *System. Theol. Loc. 7. §. 9. & Loc. 9. §. 9. it. Lov. 27. §. 6.* Videtur etiam huc inclinare *M. Johann. Diecmannus*, Rector Lycei Stadensis *in Vindiciis Legis Monogamicæ*, qui §. 4. distinguit inter jus naturale & divinum positivum, atque contra posterius saltem Polygamiam esse asserit, non contra jus naturæ, v. §. 5. ubi & ad *Hülsemanni Breviar. Theolog. C. 21. §. 8.* provocat.

§. 113. Cum autem post hoc tempus nec ipsi Theologi, nec etiam JCti, eam, quæ decebat, adhiberent operam, ut liquidò ostenderent, ex quibusnam demum criteriis cognosci possit, quænam præcepta ad jus positivum universale referri debeant, quænam non; Imò in nonnullis Systematibus & Compendiis prior confusio de novo stabiliretur; permotus fuit *Excell. Dn. Thomasius*, ut manum rei admoveret & certi aliquid produceret. Vocaverat Grotius hoc jus *voluntarium universale*, alii *jus naturale secundarium*, Schertzerus *jus morale positivum*; Sed

præ

præ omnibus hiſce ipſi maximè commoda illa denominatio viſa fuit, ubi Henniges illud *jus divinum poſitivum univerſale* inſignit. *v. Diſſ. de Crim. Bigam. §. 16.*

§. 114. Primas hujus rei lineas deſignavit in Diſſertatione modò allegata *de Crimine Bigamiæ*, quæ inter Diſſertationes Lipſienſes in ordine ſeptimam conſtituit, & quidem *à §. 8. ad 20. usque*. Primò dicit, inter utramque Legem, naturalem & poſitivam univerſalem, non eſſe quidem differentiam ratione cauſæ efficientis, dum utraque à Deo proficiſcitur, differre tamen legem naturalem à poſitiva, quod naturalis ex ratione, poſitiva ex ſcriptura S. revelatione cognoſcatur: deinde quoque objectum juris naturalis conſtituant actiones ſocialitati neceſſariò convenientes aut diſconvenientes, & juris poſitivi autem, quæ ex illa convenientia aut diſconvenientia decidi nequeunt. Jus naturæ eſſe immutabile: Poſitivum verò admittere mutationem & diſpenſationem divinam. Jus naturæ ſtatim cum homine cœpiſſe: Poſitivum univerſale autem poſt creationem hominis duabus vicibus, primò ſtatim poſt hominem conditum & ſecundò in reparatione humani generis poſt diluvium promulgatum eſſe. Tria ergò, ut Lex aliqua pro poſitiva univerſali haberi poſſit, ponit requiſita: (1) ut Scriptura doceat, actum aliquem vetari aut præcipi, (2) iſtud præceptum toti humano generi eſſe latum, (3) ut iſta lex non poſſit ex convenientia aut diſconvenientia cum natura hominis rationali & ſociali deduci.

§. 115. Aſt cum multa præcepta multæque prohibitiones certorum actuum in Scriptura occurrant, quæ non omnes homines, ſed populum ſaltem Judaicum concernunt, iterum incertum & dubium eſſe videtur, unde demonſtrari poſſit, quod hoc illudve præceptum toti humano generi latum fuerit? Sed & hîc non absque fundamento ſuppeditato nos dimittit. Scilicet primò diſtinguendum eſſe dicit inter tempora ante & poſt inſtitutam Remp. Judaicam, etiamſi præceptum aliquod occurrit, quod Deus ter Opt. Max. ante initia dictæ Reip. promulgavit, ſine dubio id omnes homines obligare aſſerit. In quo, nî fallor, Doctores ſi non omnes, ſaltem plurimos conſentientes habet, qui pœnam mortis homicidæ dictatam *Gen. 9, v. 6.* ideò diſpenſationi Principis eximunt, quod ante Remp. Judæorum jam obtinuerit, adeo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [87] - 71

adeoque non sit forensis. Quid ergo? Imò, quid aliud, quam pœna Lege universali positiva dictata, quia id iterum extra dubium est, eandem ex Lege naturæ non profluere, quippe quod dictitat quidem, homicidas socialitatem turbantes esse puniendos, modum tamen pœnæ non determinat. Dudum itaque asseruerunt ipsi DD. existentiam Legum positivarum universalium, licet nescio ex quo stomachi vitio à denominatione hac abhorruerint.

§. 116. Patet ex his, omnes Leges divinas ante conditam Remp. Judæorum promulgatas esse positivas universales. Sed non sequitur è contrario: quod omnes leges post conditam illam Remp. latæ, sint particulares Judæos solos respicientes. Paucæ sanè hôc modô reperirentur Leges universales. Ergò ita porrò procedendum esse docet Dn. Thomasius. Leges post institutam Judæorum Remp. datæ vel habent additamentum aliquod, cur Deus earum observationem præ cæteris à populo suo desideret, vel non habent. Sin posterius, & Lex simplex tantùm præceptum aut prohibitionem in se comprehendit, tunc tutò colligitur, eandem neminem, nisi Judæos obligare, quia intuitu certi populi, quem Deus instar Principis mundani regebat, promulgata est. Talis verò Lex illum populum egredi non solet. Sin verò prius & Deus propterea â Judæis, populo suo, exactiorem obedientiam requirit, quod ad hasce Leges servandas etiam Gentiles obligati sint, certissimum tunc adest indicium, esse tales Leges positivas universales. Huc pertinent prohibitiones circa ineunda matrimonia consanguineorum *Lev. c. 18.* ubi Deus *v. 24. seqq.* dicit, daß sich die Heyden in diesem allen verunreiniget haben / und daß dadurch das Land verunreiniget worden. Jam verò ex solo rationis lumine & si scriptura S. destituamur, illæ prohibitiones & quod matrimonia inter proximos consanguineos inita, sint tam horrenda crimina, cognosci potest, ut nemo justè negare nequit: Ergò etiam illæ Leges non sunt naturales, quippe quæ posteriores ex solo rationis lumine cognoscuntur. Nihilominus tamen Gentiles contra eas peccasse dicuntur, & simul illos iisdem obligatos fuisse supponitur, quæ obligatio nasci non potuisset, nisi jam anteà dictæ Leges aliquando ab initio creationis aut post diluvium toti humano generi, aut personis illud repræsentantibus, promulgatæ fuis-

fuiſſent. Alias enim Deus eſſet injuſtus, ſi Gentiles puniret, nec tamen hi unquam Legis notitiam ex revelatione habuiſſent, (nam illam notitiam ex lumine rationis non fluere jam ante diximus.) At quis talia de Ente perfectisſimo cogitare præſumeret?

§. 117. Tandem quoque exinde Leges poſitivæ univerſales cognoſci poſſunt, ſi à Chriſto in novo Teſtamento repetitæ & denuò inculcatæ fuerunt. Cujus exempla ſuppeditantur *Matth. 5. & 19.* ubi inter alia Salvator ad primævam creationem provocat & exinde deducit, quod Matrimonium ſocietas perpetua, non niſi per mortem & ob alterutrius ex conjugibus adulterium diſſolvenda, eſſe debeat, ſimulque innuit, non plures quam duas perſonas conjungi poſſe, quod utrumque iterum ex lumine rationis ſolo cognoſci non poterat, adeoque jure naturæ hic nihil deciſum eſt. Sequitur autem, hanc Salvatoris repetitionem inferre univerſalitatem Legis exinde, quia adventu Chriſti in carnem diſtinctio inter Judæos & reliquas Gentes prorſus ſublata fuit, atque adeò Chriſtum ad ſolos Judæos reſpexiſſe dici nequit.

§. 118. Simul ut oſtenderet Vir Excellentisſimus, quantum diſcrimen intercedat inter cognitionem voluntatis divinæ, quæ ex rationis, & illam, quæ ex revelationis lumine proficiſcitur, & ſimul, quàm maximè diſcrepantia exinde juris naturæ & poſitivi univerſalis præcepta fluant: In *Inſtitutionibus Jurisprudentiæ divinæ*, ſingulas materias de officiis Hominum percurrit, & poſtquam primo capite propoſuit, quatenus hæc officia ex jure naturæ cognoſci poſſint, ſtatim ſequenti capite, quid Lex poſitiva univerſalis exigat, perſpicuè & concinnè ſubjungit, quod neminem ante eum præſtitiſſe quivis fatebitur, qui aliqualem ſaltem rei literariæ notitiam adeptus eſt.

§. 119. Sunt quidem haud pauci ex illuſtribus etiam & celeberrimis Viris, qui adhucdum exiſtentiam Legis alicujus poſitivæ univerſalis Legi naturali contradiſtinctæ conſtanter negant; Verum ejus veritati, quæ tam clara eſt, propterea nihil decidit. Erunt diſſenſiones, dum erunt homines. Et qui pati nequit diſſentientes, ſed eos odiô proſequitur, injuriis afficit, doctrinas eorum ut portenta, monſtra, errores peſtilentes, & ſi quid gravius apud honeſtos Viros, ſtatus controverſiæ ut plurimum planè ignaros, traducit, aut planè Provincia & urbe expellere quærit: Næ, is miſeriam ſuam & dominandi amo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [89] - 73

rem nimis craſsè prodit, atque ſe in extremum ſtultitiæ abyſſum decidiſſe teſtatur. Interim tamen nec deſunt, qui ſententiæ huic libenter ſubſcripſerunt, quos operoſe conquirere poſſem, ſi autoritas vel veram, vel falſam redderet hypotheſin aliquam. Sufficiat præter ſupra laudatos nominaſſe adhuc paucos, ſed celeberrimos Viros, inter quos *Dn. Buddeus in Elementis Philoſophiæ practicæ, Kipping in Inſtit. Polit. l. 2. C. 5. §. 3. Schilter Inſtit Jur. Canon. l. 1. tit. 2. §. 1. Mauritius de principiis juris publici Germanici C. 3. §. 16. ſeqq.* Finio hîc, & ut indies ſtudium juris naturalis majora incrementa capiat, ſeriò exopto. Quod ſi enim hoc diligentius excoleretur à Jurium Cultoribus, quam quidem hactenus factum; certò certius eſt brevi tempore perituros eſſe & Legulejos & Rabulas, par illud nobile fratrum.

FINIS.

ERRA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41:Leibn. Marg. 41, Stück 4, [90] - 74

ERRATA

Quam plurima irrepsisse ex incuria Typographi, valdè doleo benevole Lector. Causa est, quod opusculum hoc in loco extero prelo commissum fuerit, atque adeò munus corrigendi & revidendi ego ipse in me suscipere non potuerim. Neque ergò, si bonus es, eadem mihi imputabis. Leviora, quo etiam refero commatum aliarumque distinctionum vel omissionem, vel transpositionem, ut ipse emendare velis, enixè rogo. Ex gravioribus, & quæ sensum planè corrumpunt, sequentia (non tamen omnia) notare volui:


Pag. 2. lin. 13. locô commatis post vocem *scrutetur* punctum est ponendum.
p. 4. lin. 28. pro *Eruditos* l. eruditis.
p. 8. lin. 24. pro *dispescebantur* l. dispescebant.
pag. 11. lin. ult. pro *reliquebat* l. reliquerat.
p. 12. lin. 8. ita legendum: quantum quidem subsecutis posteà temporibus ejusdem restauratores &c.
Ead. p. l. 22. pro *Azpilcuexa* l. Azpilcuetæ.
p. 15. lin. 15. leg. nec intelligere desiderarent.
lin. 25. pro *usu* l. usque.
p. 16. lin. 1. pro *Begeri* l. Beyeri.
p. 18. lin. 12. pro *hujusq;* l. hucusque.
lin. 28. pro *librum* l. liberum.
p. 20. lin. 6. pro *Fesmarus* l. Tesmarus.
p. 24. lin. 4. pro *antescit* l. ante cit.
p. 27. lin. 14. pro *Thalassorvaticum* l. Thalassocraticum.
p. 29. lin. 25. & 26. pro *Monacborum* l. Monarcharum.
lin. 30. pro *facta* l. fata, (quod & alibi ita emendandum)
p. 32. lin. ult. pro *Suevos* l. Suecos.
p. 33. lin. 24. pro *præsensis* l. prætensis.
p. 35. lin. 13. pro *turbitus* l. turbidus.
lin. 26. pro *officiosus* l, officio suo.
p. 41. lin. 28. pro *assilet* l. assolet.
p. 43. lin. 11. post vocabulum *sanctitate* inserenda est particula *non*.
lin. 17. pro *conati* l. connati.

Pag.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [91] - -


Pag. 50. lin. 1. pro *tamen* lege etiam.
p. 51. lin. 19. pro *ad* l. at, & post voc. *natura*, insere particulam *non*.
p. 52. lin. 20. post vocem: *addit*, insere vocabula: *verum est*
p. 56. lin. antep. ante vocem: *cibô*, insere vocab. *homo*.
p. 67. lin. antep. pro *Ryfel* leg. Ryffel.
lin. pen. pro *Telo* l. Felo.
p. 71. lin. 12. deleatur particula &
lin. 29. pro *etiamsi* l. & jam si.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [92] · ·




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [93] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [94] · ·




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41,Leibn. Marg. 41, Stück 4, [95] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [96] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 41;Leibn. Marg. 41, Stück 4, [97] - -

PUBLIC DOMAIN